

DOCTRINAE TEMPORUM
VERBI GRAECI ET LATINI
EXPOSITIO HISTORICA.

PARTICULA PRIMA

QUAM

FRANCISCO SPITZNERO

**PHILOSOPHIAE DOCTORI GYMNASII VITEBERGENSIS RECTORI
AC PROFESSORI**

DOCENDI MUNUS

QUINQUE PER LUSTRA

STRENUÉ GNAVITERQUE GESTUM

COLLEGARUM NOMINE

GRATULATURUS

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHMIDT

CONRECTOR.

VITEBERGAE D. V. M. MART. A. MDCCCXXXVI.

FORMIS ORPHANOTROPHEI HALENSIS.

Quum disciplinae artium non aliter atque ipsae artes, id est naturali quodam et necessario ordine, soleant excoli, tum id quam maxime oportet cadere in perfectissimae omnium artium disciplinam, grammaticam. Quare qui scite compositurus fuisset historiam doctrinae grammaticae, is optime sine dubio putandus etiam foret explicuisse ipsam grammaticam. Hoc tamen et immensi laboris et haud vulgaris ingenii opus relinquens aliis equidem nunc satis habebo, singularem huius doctrinae locum et eum quidem, qui est de temporibus, ipsius temporis ordine, ut potero, persequi.

Temporis notionem natura insitam et quasi innatam esse verbo, omnium primos constat Platonem docuisse et Aristotelem. Plato enim in Sophista (p. 262. Bekk. p. 227.), postquam ab eo demum ostendit, qui verbum coniungat cum nomine, orationem posse effici, ita pergit: *δηλοῖ γὰρ, inquit, ἤδη πού τότε περὶ τῶν ὄντων ἢ γιγνομένων ἢ γεγονότων ἢ μελλόντων, καὶ οὐκ ὀνομάζει μόνον ἀλλὰ καὶ περαίνει συμπλέκων τὰ ῥήματα τοῖς ὀνόμασι.* Aristoteles autem in libro de interpretatione naturam nominis et verbi definiturus *Ὄνομα μὲν οὖν, inquit, ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. Ῥῆμα δὲ ἐστὶ τὸ προσσημαῖνον χρόνον οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἐστὶν ἀεὶ τῶν καθ' ἐτέρου λεγομένων σημείον.* A Platone igitur videmus, cur mutua tantum nominis et verbi coniunctione procreari possit oratio, afferri hanc causam, quia tum demum homo loquens ea, quae sint seu τὰ ὄντα, aut fieri, aut facta, aut futura esse enunciet *); ab Aristotele autem inter nomen et verbum

*) Et veteres et recentiores huius loci interpretes ex eo aliam quidem, atque ego constitui, sed falsam sine dubio efficiunt sententiam. Ficinus enim convertit eum ita: „Tunc sane declarat aliquid de his, quae sunt vel fiunt aut fuerunt aut erunt“, eumque nostra aetate sequuti sunt Astius et Schleiermacherus, quorum ille quidem locum ita interpretatur: „Declarat enim iam tum aliquid de iis, quae sunt vel fiunt vel facta vel futura sunt“, hic autem: „denn hiedurch macht er schon etwas kund über seiendes oder werdendes oder gewordenes oder künftiges. At tum quidem Plato fecisset hospitem illum dicentem manifesto inepti

positam hanc esse differentiam, ut nomen dicat esse vocem significationis alicuius participem, verbum autem vocem, quae praeterea temporis quoque notione et praedicandi potestate instructa sit *). Utrumque igitur patet idcirco existimasse temporis notionem necessario adiunctam esse verbo, quia verbi sit, prae-

aliquid. Quum enim Verbum ea ipsa quae fiunt, ut modo a Platone demonstratum est, significet, qui de iis, quae fiunt, aliquid declarare diceretur, eum hic quidem patet de ipso verbo dictum fore declarare aliquid. Atqui non de verbo, sed de nomine auxilio verbi est declarandum aliquid. Sequitur, primum participium τῶν ὄντων ad nomen seu subiectum esse referendum, quod paullo ante a Platone τὸ ὄν est appellatum, tria sequentia autem ad verbum, quod quum supra sit dictum τὴν πράξιν significare, hic dicitur aut fieri aliquid aut factum aut futurum esse enunciare. Vertendus igitur hic locus Ficino quidem fuisset ita: „Tunc sane enunciat ea, quae sunt, tamquam res quae aut fiunt aut factae iam aut futurae sunt“; Schleiermachers autem: denn hiedurch macht er schon kund das Seiende als werdend oder geworden oder künftig. Quae quidem interpretatio ut a sententiae veritate, ita a linguae etiam ratione tamquam unice vera commendatur. Etenim aliquid illud et „etwas“, quod Ficinus et Schleierm. tamquam accusativum obiecti addendum putaverunt verbo δηλοῦν, id Plato, si hanc voluisset exprimere sententiam, additurus fuisset sine dubio ipse, ut vere additum est ab eo paullo antea (p. 261. Bekk. p. 225, 21.). — Aliquanto gravius autem quam a tribus his viris nuperrime in hoc loco explicando peccatum est a Ioanne Classenio, qui in libro de grammaticae Graecae primordiis p. 67. participia τῶν ὄντων et γινόμενων non ambo, ut illi fecerunt, ad praesens tempus (cf. Plat. Parmen. p. 141. B. p. 33, 3. Longin. de sublim. c. 25.), sed alterum ὄντων ad praesens, alterum (γινόμενων) ad praeteritum et quidem ad aoristum praeteriti referendum existimat. At tum certe γινόμενων dicendum fuisset, quomodo Aristot. de interpret. c. 9. coniunxit τῶν ὄντων καὶ γινόμενων, quamquam ne hoc quidem de aoristo sed de universo praeterito tempore accipiendum foret.

*) Non nescius sum, hunc Aristotelis quoque locum paullo aliter plerumque solere intelligi. Ammonius enim (ὑπόμνημα εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας Venet. 1503. p. 21.) praepositionem πρὸς in participio προσσημαῖνον spectare opinatur ad primariam illam verbi significationem, qua agendi patiendive notio contineatur eo, neque aliter eam intellexisse videtur qui praeter Ammonium est graece in hunc librum commentatus Magentenus metropolita Mytilenaeus (ibid. p. 6.), quos nostra aetate sequutus Iacobus Harrisius in libro, qui Hermes inscribitur, de praepositionis illius significatu loquutus est ita: Wollte man fragen, worauf das ausserdem (πρὸς) gehe: so lässt sich antworten, auf die Hauptbedeutung des Verbi, vermöge welcher es irgend ein bewegendes oder wirkendes Attribut ausdrückt. At si haec Aristoteli quoque fuisset primaria visa verbi significatio, non ille profecto hoc loco, quo totius verbi vis et natura aperienda erat, potuisset eam praetermittere. Spectat potius praepositio ad eam definitionis partem, quae verbo cum nomine communis est eamque ob causam non iterum hic commemoranda erat (φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην), id quod Aristoteles ipse testatur de arte poet. c. 21., ubi, quum ad definiendum verbum repetita sint verba φωνὴ συνθετὴ σημαντικὴ, simpliciter additum est μετὰ χρόνον. Nimirum ponit Aristoteles omnem verbi vim in eo officio, ut praedicatum tribuatur subiecto, quod ut perficiat verbum, non opus ei videlicet est ulla agendi patiendive significatio.

dicatum tribuere subiecto, id autem, quum, quidquid tribuatur subiecto, id aliquo tamen ei tribuendum sit tempore, sine ipsius notatione aliqua temporis plane fieri non possit. Hac autem necessitate inventa, facile etiam, quot formae ad designandum tempus necessariae essent verbo, inventum est. Verbi enim non esse, singula quaeque temporis momenta, sed primarias tantum eius partes exprimere, in promptu erat, et tota igitur res vertebatur in ea quaestione, quae-
nam essent hae primariae et singularibus verbi formis exprimendae temporis partes. Dissolvere eam licet hoc modo. Linguas excoluit sermo. Sermocinan-
tium autem oportet quam maxime interesse ut et sciat alter et alter significet,
num ea, quae tribuuntur subiecto, nunc ipsum an prius vel postea ei conveniant. Partientur igitur ex eo ipso, quo inter sese sermocinantur, momento totam per-
petuitatem temporis ita, ut et quae antea fuerunt et quae futura sunt postea
opponant iis, quae nunc sunt *). Quare quae Homerus iam nobili illo Iliadis
versu ὅς ἤδη τὰ τ' ἐόντα τὰ τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα tria distinxerat tempora rerum,
ea sex septemve saeculis postea iidem illi, quos supra nominavi, Graecorum phi-
losophorum principes in verborum quoque formis invenerunt expressa esse.
Plato enim et eo loco, quem ex Sophista excitavimus supra, verbo, inquit, τὰ
ὄντα significari aut tamquam γεγόμενα aut tamquam γεγονότα aut denique tamquam
μέλλοντα, et in Parmenide p. 151 et 152. [B. p. 54.]: τὸ δὲ εἶναι ἄλλο τί ἐστίν ἢ
μέθεξις οὐσίας μετὰ χρόνον τοῦ παρόντος, ὥσπερ τὸ ἦν μετὰ τοῦ παρελθόντος
καὶ αὖ τὸ ἔσται μετὰ τοῦ μέλλοντος οὐσίας κοινωνία; Aristoteles autem eodem
capite libri de interpretatione, quo definitum est verbum, τὸ μὲν (ὕγιαίνει), in-
quit, τὸν παρόντα προσσημαίνει χρόνον, τὰ δὲ (ὕγιανε et ὕγιανεῖ) τὸν πέριξ **).

1 *

*) Fr. Aug. Wolfius in praelectionibus de antiquitatis studiis (ed. a Guertlero Lips. 1831. vol. I. p. 95.) in hanc rem disserit ita: Ein auf der ersten Stufe stehendes Volk hat etwas Eigenes, dass ihm die Kenntniss der Vergangenheit eben so schwer ist, als die der Zukunft. Die Menschen interessiren sich nur für die Gegenwart. Von der Gegenwart gingen daher alle Sprachen aus und diese ist der Stamm der Worte. Quod autem Wolfius hic solis primae aeta-
tis hominibus tamquam proprium vult tribui, id maximam quidem partem cadit in homines omni-
um aetatum. Praesens enim tempus quum sit id, quo cogitamus, quo agimus, quo denique
vivimus, non potest non omnium temporum longe gravissimum maximique momenti videri
omnibus.

**) Emendari ex hoc Aristotelis loco potest Stephanus, Dionysii Thracis interpres in Bekk. Anecd. II. p. 889. Hic enim probaturus, tempus non solum, ut philosophi velint, praeteritum
et futurum, sed etiam praesens esse εἰ χρόνον, inquit, ὀρίζομεν διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινή-
σεως, ἐν ἀχαριαίῳ νοηθήσεται ὁ ἐνεστώς, περιέχων τὸν παρελθόντα καὶ τὸν μέλλοντα i. e.
si tempus definimus intervallum esse motus mundi, (cf. Varro de lingua Lat. lib. VI. c. 2.
ed. Odofr. Muell. p. 73.) puncti instar cogitabitur praesens circumdans et praeteritum tempus et

Est autem ὁ περίχ χρόνος tempus utrimque praesenti adiacens, id quod ille ipse declaravit capite quarto de categoriis §. 6. his verbis: ὁ νῦν χρόνος συνάπτει πρὸς τὸν παρελθόντα καὶ πρὸς τὸν μέλλοντα *), quae duo tempora de interpret. c. 10. eodem fere modo nominantur οἱ ἐκτὸς χρόνοι, tempora extra praesens posita. Praesens enim Aristoteli adeo videtur potissimum esse temporum omnium, ut ea tantum verba, quae hoc tempore instructa sunt, verborum ei nomine esse digna videantur, omnia reliqua autem non verba, sed casus verborum nominanda esse existimet **). Ratione autem, cur ita statuerit, ex reliquis eius scriptis demonstrari potest, adductum eum fuisse hacce. Tempus universum constat ex praeterito et futuro inter sese coniunctis temporibus ***). Ipsa autem iunctura eorum est praesens, quo vivimus, momentum ****). Atqui quum praesens momentum omnis expers sit spatii†), ut praesens tempus inde possit eva-

futurum. At praesens quod cogitatur tamquam punctum, quomodo id, quaeso, complecti potest dici tempora reliqua? Non igitur videtur dubium esse, quin Stephanus ad Aristotelis illam temporum denominationem spectans pro περιέχων scripserit περίχ ἔχων, quo facto percommoda existit verborum sententia haecce: puncti instar cogitabitur praesens utrimque duo reliqua tempora habens.

*) Cf. Plat. Parm. p. 152. (B. p. 55.) τὸν νῦν χρόνον τὸν μεταξὺ τοῦ ἦν τε καὶ ἔσται.

**) Τὸ ὑγιαίνει ῥῆμα . . . τὸ δὲ ὑγιανε καὶ τὸ ὑγιανεῖ οὐ ῥῆμα ἀλλὰ πτώσεις ῥήματος de interpret. c. 2.

***) Natural. auscult. IV. 14. τὸ μὲν γὰρ αὐτοῦ (τοῦ χρόνου.) γέγονε καὶ οὐκ ἔστι, τὸ δὲ μέλλει καὶ οὐπω ἔστι. ἐκ δὲ τούτων καὶ ὁ ἄπειρος καὶ ὁ ἀεὶ λαμβανόμενος χρόνος σύγκειται, quae posteriora verba ab Harrisio, qui caeterum totum hunc de temporibus locum admodum diligenter et ingeniose exposuit, minus recte conversa sunt ita: „und aus diesen Theilen besteht die unbestimmte Zeit, welche immer zunimmt“ in quem errorem illum induxisse videtur latina du Vallii, cuius editione est usus, interpretatio. Hic enim neglecta priore particula καὶ ita locum convertit: „ex his autem partibus constat tempus infinitum et quod semper sumitur“, quum veram verborum sententiam iam dudum aperuisset Vicomercatus (Commentar. in libros Arist. de natur. ausc. Venet., 1564.) interpretando ea hoc modo: „ex quibus et infinitum et quod semper sumitur tempus constat.“ Quod autem semper sumitur tempus est quamcunque vel maiorem vel minorem eius partem complectitur quisque cogitatione sua.

****) Ibid. IV. c. 17. §. 4. Τὸ δὲ νῦν ἐστὶ συνέχεια χρόνου· συνέχει γὰρ τὸν χρόνον τὸν παρελθόντα καὶ ἐσόμενον καὶ ὅλως πέρας χρόνου ἐστὶ· ἔστι γὰρ τοῦ μὲν ἀρχῇ τοῦ δὲ τελευτῇ, et paullo post τὸ δὲ νῦν πέρας ἀμφοῖν καὶ ἐνότης.

†) Ibid. c. 14. §. 4. Τὸ δὲ νῦν οὐ μέρος. μετρεῖ τε γὰρ τὸ μέρος καὶ συγκεῖσθαι δεῖ τὸ ὅλον ἐκ τῶν μερῶν· ὁ δὲ χρόνος οὐ δοκεῖ συγκεῖσθαι ἐκ τῶν νῦν, et c. 17. §. 7. Φανερόν, ὅτι οὐδὲ μόνον τὸ νῦν τοῦ χρόνου οὐδ' ἡ διαίρεσις (intellige μόνον ἐστὶ) τῆς κινήσεως, ὥσπερ οὐδ' αἱ στιγμαὶ τῆς γραμμῆς. Cf. Plat. Parm. p. 156. (B. p. 64.), ἡ ἐξ αἰφνης αὕτη φύσις ἄτοπος τις ἐγκάθηται μεταξὺ τῆς κινήσεως τε καὶ στάσεως ἐν χρόνῳ οὐδενὶ οὐσα· καὶ εἰς ταύτην δὴ καὶ ἐκ ταύτης.

dere *) ex utraque parte illi necesse est aliquam adiici particulam temporis **). Sequitur, tempus praesens constare semper ex praeterito et futuro inter sese momento illo connexis temporibus. Atqui haec ipsa universi erat temporis notio. Consentaneum igitur est, Aristotelem, qui temporis notionem tamquam propriam tribuerit verbo, eas tantum verborum formas, quae plena illa atque integra notione sint praeditae, pro plenis etiam et perfectis voluisse haberi verbis, eas contra, quae, quum partem tantum temporis significant, notionem illam quasi mancā et dimidiam tantum in se contineant, non ipsa verba sed casus tantum verborum censuisse nominanda esse. Neque tamen a se ipso

*) Momentum enim ne pro tempore quidem omnino haberi ab Aristotele, videre licet ex libro VI. de ausc. nat. c. 2., ubi ex enunciato, cuius veritas demonstrata est antea, in momento omnino nihil moveri posse, concluditur hoc alterum, id quod moveatur, moveri oportere in tempore. Quam necessarium autem sit, tenere hanc inter utramque praesentis notionem differentiam, insigni documento nobis potest Priscianus esse, qui nil curans eam, quum ter definierit praesens tempus, ter definivit aliter. Primum enim lib. VIII. c. X. §. 51. (ed. Krehl). „Praesens, inquit, tempus proprie dicitur, cuius pars praeteriit, pars futura est“, deinde paullo post: „Maxima pars eius vel praeteriit vel futura est“, denique ib. §. 52. „praesens tempus hoc solemus dicere, quod contineat et coniungat quasi puncto aliquo iuncturam praeteriti temporis et futuri, nulla intercisione interveniente“. Scilicet postremum est momentum, primum tempus praesens, medium prorsus nihil.

**) De auscultat. natur. lib. VI. c. 2., ubi momentum praesens ita distinguitur a tempore praesenti, ut illud dicatur esse τὸ νῦν καθ' αὐτό, hoc τὸ νῦν καθ' ἕτερον, huius alterius autem, in quo τὸ νῦν illud praesens sit, partem esse praeteritam partem futuram, τοῦ νῦν τὸ μὲν τε γεγονὸς ἔσται τὸ δὲ μέλλον. Plenius etiam hoc exposuit Nicephorus Blemmides his verbis, quae, quum ipsius libelli mihi non sit copia, transscribo ex Harrisio: Ἐνεστὼς οὖν χρόνος ἔστιν ὁ ἐφ' ἑκάτερα παρακείμενος τῷ κυρίως νῦν· χρόνος μερικὸς ἐκ παρεληλυθότος καὶ μέλλοντος συνεστὼς καὶ διὰ τὴν πρὸς τὸ κυρίως νῦν γειτνίασιν νῦν λεγόμενος καὶ αὐτός. Duplex autem hoc νῦν, quo altero momentum, altero tempus significatum est praesens, distinguere fere ita solent grammatici Graeci, ut illud, quod philosophis censent relinquendum esse, nominent χρόνον ἀκαριαῖον, hoc, quod grammaticae volunt vindicare, χρόνον πλατύν seu πλατικόν. Ita Choeroboscus in Bekk. Anecd. III. p. 1280.: Ἰστέον δὲ ὅτι παρὰ τοῖς γραμματικοῖς πλατικός ἐστὶν ὁ ἐνεστὼς, τοῦτ' ἐστὶν ἐν πλατεί, ὡς ὅταν εἴπωμεν ὅτι ὁ ἐνεστὼς ἐνιαυτός τοιόςδε ἐστὶ, παρὰ δὲ τοῖς φιλοσόφοις ἀκαριαῖός ἐστι, τοῦτ' ἐστὶν ἅμα τῷ λέγεσθαι ἔχει καὶ τὸ εἶναι. Ibid. II. p. 888 et 889. Phavor. Eclog. p. 451, 34. Et. M. p. 734, 28. Max. Planudes in Bachm. Anecd. p. 6. Ammonius in Arist. de interpret. ad c. 3. καὶ γησι, τὰ μὲν ἐπὶ τοῦ ἐνεστῶτος χρόνου λεγόμενα ῥήματα καλεῖν, ἐνεστῶτος δὲ τοῦ ἐν πλατεί δηλονότι, κατὰ γὰρ τὸν ἀκαριαῖον λεγόμενον οὔτε ποιῆσαι τι οὔτε φθίγγασθαι δυνατόν. Non erat igitur, cur Ritscheli in prolegomenis ad Thom. Mag. p. 132. offenderetur voce πλατός a Moschopulo in definiendo tempore usurpata; χρόνος enim seu tempus universum, cuius supra vidimus eandem fere esse notionem atque temporis praesentis, a Moschopulo dicitur aut πλατός εἶναι, ut ἐνιαυτός (inter πλατός enim et ἐνιαυτός videtur ὡς excidisse vel οἶον) aut ἀκαριαῖος.

dissentire putandus est Aristoteles, si alias praeterita et futura quoque non dubitavit appellare verborum nomine, id quod fecit ille eodem libro de interpret. c. 11. his verbis: τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίνεταί ἢ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων ἐστὶ. Etenim est ea vulgaris grammaticorum consuetudo, ut pro verborum formis simpliciter dicant verba *). Formas autem verbi esse et ἦν illud et ἔσται, id ne Aristoteles quidem, qui ὕγιανε et ὕγιανεῖ vocarit ῥήματος πτώσεις, ullo modo infitiatus est, at si quaesiveris ex eo, quanam ex tribus his verbi formis ἔστι, ἔσται et ἦν prae caeteris sit digna, quae verbum appelletur, responsum accipies: ἔστι **).

Praesens igitur tempus Aristoteli constat ex tribus verbi temporibus fuisse primarium. Nomen autem, quo et ab illo et a Platone hoc tempus designari solet, est ὁ παρὼν χρόνος; neque deest tamen in prioris certe scriptis etiam alterum, quo postea plerumque utebantur grammatici, ὁ ἐνεστὼς χρόνος. Usus enim eo est libro IV. de auscult. natur. c. 19. §. 22., ubi adverbium ἄρτι dicitur poni ἐὰν ἢ ὁ χρόνος ἐγγὺς τοῦ ἐνεστῶτος νῦν. Est autem haec denominatio quam maxime accommodata naturae huius temporis. Significat enim ὁ ἐνεστὼς νῦν et ὁ

*) Ita Apollonius Dyscolus verborum formas activas nominat ῥήματα ἐνεργητικά de constr. IV. 8., eorum formas imperandi ῥήματα προστακτικά I. 36. indicandi ῥήματα ὀριστικά III. 20. subiungendi ῥήματα ὑποτακτικά IV. 1. idemque faciunt reliqui, ut E. t. M. Gud. 3. ῥήμα ἐνκτικόν; cf. Bekk. Anecd. II. p. 673. Phavorin. Ecl. p. 75, 11. p. 252, 28. p. 318, 1. Neque ab hoc usu sese abstinerunt Latini, ut Varro, qui lib. IX. de ling. Lat. §. 55 — 58. formas verborum perfecti et infecti temporis simpliciter appellat verba perfecta et infecta, et Priscianus II. 4, 15. ubi imperativi nominantur verba imperativa.

**) Ita sese intelligi velle Aristoteles indicavit etiam eo, quod formas ὕγιανε et ὕγιανεῖ non ῥήματα negavit sed ῥήμα esse i. e. eas formas, quarum alterutra prae caeteris nuncupari nomine ῥήματος possit. Id non attendens animum Classenius in explicandis, quae supra posuimus, Aristotelis verbis haud mediocriter videtur lapsus esse. Dicit enim ille (de primordiis gr. Gr. p. 67.): „Deinde Aristoteles c. 11. principales verbi formas enumerat: τὸ γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἦν ἢ γίνεταί ἢ ὅσα τοιαῦτα ῥήματα ἐκ τῶν κειμένων ἐστὶ h. e. eiusdem naturae cum praesenti ad iudicia componenda; et paullo post haec omnia τοὺς ἐκτὸς χρόνους dicit, in quo nomine, ut in τῷ περίξ χρόνῳ praesens tanquam primum et potissimum tempus cogitatur.“ At falsa est primum verborum ἐκ κειμένων explicatio, quae nullo profecto modo ex Aristotelis verbis potest effici, quare rectius illa verba ab antiquis philosophi commentatoribus de iis, quae antea ab eo de verbi natura iam posita erant, intellecta sunt; Ammonius enim ταῦτα, inquit, ῥήματα ἐστὶ ὡς τὸν ἀποδομένον τοῦ ῥήματος ὀρισμὸν ἐπιδεχόμενα, eundemque in modum Magentenus: καὶ γὰρ καὶ ταῦτα ἐκ τοῦ ὀρισμοῦ εἶσι τοῦ ῥήματος. Falsum praeterea est, omnes illas formas (ἔστι, ἔσται, ἦν) ab Aristotele dici τοὺς ἐκτὸς χρόνους, quum potius οἱ ἐκτὸς χρόνοι non aliter atque οἱ περίξ χρόνοι solum praeteritum et futurum tempus contineant, praesenti autem, quod in antecedentibus, a Classenio prorsus neglectis, exemplis regnat, oppositi sint.

ἐνεστώς χρόνος momentum et tempus in communi futuri et praeteriti termino quasi insistens seu instans, ita tamen, ut momentum illud nunquam excedat hunc terminum, tempus autem in utramque partem ab eo hoc modo pateat, ut et pro fundamento illum habeat, quo nitatur, et pro vinculo simul, quo contineatur. Romani autem quamvis Graecorum *ἐνεστώτα* ad verbum expresserint *instans tempus*, ab alia tamen in eo, atque Graeci, cogitandi ratione profecti sunt. Instans enim manifesto iis est tempus a praesenti momento futurum proxime, inque ipsum hoc praesens momentum seu potius praesentem hominem quasi ingruens atque insistens *). Scilicet expressum in hac diversa cogitandi ratione diversum habes utriusque gentis ingenium. Graecorum enim ratio ex ipsius est rei natura, Romanorum ex vitae usu petita; illa est gentis philosophae, haec gentis ad

*) Hoc autem vere inter *ἐνεστώτα χρόνον* et *instans tempus* discrimen constitutum esse, ex constanti apparet et Graecorum et Romanorum loquendi consuetudine, qua *ἐνεστηκῖα* semper dicitur ea res, quae vero iam adest eo tempore, de quo quis loquitur, *instans* autem semper ea, quae quam proxima est illi tempori et quasi iam urget illud. Ita Herod. I. 120. *οἶω δ' ἐνεστεῶτος βασιλῆος*, te constituto iam rege i. e. te regnante. Xen. Hist. Gr. II. 1, 5. *περὶ τῶν ἐνεστηκότων πραγμάτων*, de praesenti rerum statu. Dion. Halic. I. 71. *κτιζουσι Πύμην ἔτους ἐνεστεῶτος πρώτου τῆς ἑβδομῆς Ὀλυμπιάδος*, inito iam primo Olympiadis septimae anno, idemque est usus aoristi secundi, ut Demosth. de cor. p. 255. R. (p. 84. Wund.) *ὁ ἐνοτὰς πόλεμος*, quod a Reiskio in indice satis ambigue conversum *instans bellum*, accuratius ab H. Wolfio expressum est: quod bellum tum gerebatur. Idem p. 1466, 21. *περὶ ὧν ἂν ἐνοτῇ πόλεμος*, propter quas res bellum erit. Dion. Halic. X, 59. Budaeus Comment. ling. Gr. p. 131. Iam vero si consideraveris loquutiones, in quibus Romani hoc utebantur *instandi* vocabulo, in omnibus rem videbis significari, quae non vere iam adest sed imminet tantum et ingruit. Ita Cicero Phil. XI. 10. id bellum, quod superiore die decretum erat contra Dolabellam gerendum, nominat *instans bellum*; idem Cat. II. 5. „Quibus ego confido impendere fatum aliquod: et poenas iam diu improbitati eorum debitas aut *instare* iam plane aut certe iam appropinquare“ i. e. aut prope iam accedere et vestigiis quasi eorum insistere aut certe non longe abesse. Potest igitur huic verbo etiam adiici adverbium *prope*, ut Terent. Ad. III. 2, 5. partus instabat prope, id quod in verbo *ἐνιστάναι* fieri nullo pacto, si quid video, potest. — Accedit huc veterum Graecorum grammaticorum testimonium, a quibus constanter τῷ *ἐνεστώτι χρόνῳ* tribuitur *standi*, numquam *instandi* seu *imminendi* significatio. Ita unus ex Dion. Thrac. interpretibus in Bekk. Anecd. II. p. 888. a philosophis, inquit, nullum esse *χρόνον ἐνεστώτα*, demonstrari solere ita: *εἰ ὁ πόλος κινούμενος τὸν χρόνον ἀπεργάζεται, ἐν ἀκίνησίᾳ δὲ οὗτος αἰὲ καὶ ἐνίσταται οὐδέποτε, οὐκ ἔστιν ἄρα ἐνεστώς*, ubi tamen et sententia et Stephani, quae paullo post sequitur, annotatio pro *ἀκίνησίᾳ* ostendit legendum esse *κινήσει*. Cf. Choerob. ib. III. p. 1280. Quod igitur Ursinus in institt. ling. L. I. p. 535. contendit, *instans tempus* dici, quia stet, consistat in se sive in praesenti momento, id patet in Graecorum quidem *ἐνεστώτα*, non vero in Latinorum cadere *instans tempus*, neque est igitur dubium, quin Marcianus Capella magis ea, quam animo impressam habebat, praesentis notione, quam ipsius vocis *instans* significatione ductus, tempus praesens, ut idem ille Ursinus commemorat, nominaverit *exstans*.

agendum promptae ac strenuae. Etenim tempus praesens est id, quo vivitur, tempus. Quum autem ex duabus universi temporis partibus viderimus alteram iam praeteriisse, alteram demum instare nobis atque accedere, hanc posteriorem autem pateat vitam quasi nobis et agendi potestatem porrigere, eam ipsam Romani pro vere habuerunt praesenti et eius naturam expressam etiam voluerunt in eo, quod imponebant praesenti tempori, nomine. Usus autem hoc nomine est ex iis, qui ad nostram memoriam manserunt scriptoribus Latinis primus, quod sciam, Lucretius Carus, qui libro I. de rerum nat. v. 460 — 463. haec ait:

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis

Consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,

Tum quae res instet, quid porro deinde sequatur,

ubi postrema verba „quid porro deinde sequatur“ satis luculenter ostendunt, eas etiam res, quae instare dicuntur, praesenti momento, quamquam proxime, cogitari succedentes. Post Lucretium Cicero et alias saepe et libro primo de inventione c. 26. id nomen usurpavit de praesentibus rebus his verbis: „In tempore et quae praeterierunt considerantur; et item quae instent in praesentia et quum maxime fiant *), et quae consequantur“. Inde arripuerunt grammatici, ex quibus frequentissime eo utuntur Sosipater Charisius et Diomedes, rarius Priscianus, nunquam fere reliqui. Ut enim Graeci grammatici non prorsus repudiabant appellationem praesentis $\delta \pi α ρ ὼ ν χ ρ ὄ ν ο ς$, sic Latinis praeter instans tempus semper in usu manebat nomen praesens tempus. Differre autem universa haec nomina inter sese videntur ita, ut $\epsilon ν ε σ τ ῶ ς$ pertineat ad id, quo vivitur, momentum, $\pi α ρ ὼ ν$, instans et praesens ad eum, qui in

mo-

*) Est haec scriptura solius codicis Turicensis, quae praeferenda mihi videtur et ei, quam Orellius ex coniectura dedit et quae quum maxime et ei, quam plerique codices ferunt et quae maxime. Relativum enim si admittitur, tempus praesens accipiendum est a Ciceroe divisum esse in duas partes, quarum altera sit tempus praesenti quam proximum, altera praesens ipsum seu, ut Victorinus scholiasta ait, altera praesens, altera magis praesens. Ita autem quominus statuamus, totius huius loci nos prohibet ratio, qua tempora primaria diserte ita disinguntur a secundariis, ut primum ponantur illa, deinde adiungantur reliqua. Quare si dividere voluisset Cicero praesens tempus, ut in praeterito et futuro, sic hic quoque primum sine dubio nominaturus fuisset universum illud, deinde addidisset partes eius. Eiciendum igitur est relativum, quo facto ambabus loquutionibus quae instent in praesentia et quum maxime fiant simpliciter res significabuntur, quae geruntur praesenti tempore, posterior autem putanda erit adiecta idcirco, quia proclive erat Romanis, instantes res intelligere de futuris rebus. Caeterum confirmatur haec scriptura Victorini etiam scholiastae testimonio, cui quidem eo plus videtur tribuendum esse, quo magis illa altera scriptura favisset ei, quam ille in verbis Ciceronis inesse opinatur, sententiae.

momento illo vivit, hominem, tria autem haec posteriora inter se ipsa rursus ita, ut ὁ παρὼν χρόνος simpliciter designet id tempus, quod adest homini et eum quasi comitatur, praesens autem quod coram ei adest et oculis quasi ab eo adspicitur *), instans denique quod ex adverso eum urget et infestis quasi signis occurrit ei.

*) Senserunt id et Isidorus in Orig. X, 207., qui etsi originem vocis praesens perversae deduxit a sentiendi verbo, vim tamen eius optime aperuit his verbis: „Praesens dictum quod sit prae sensibus i. e. coram oculis, qui sensus sunt corporis“, et I. C. Scaliger, qui (de caus. ling. Lat. c. 113.) praesens dicit esse prae i. e. ante oculos. Habet igitur hoc vocabulum eam vim, ut augere etiam possit significationem verborum adesse et instare, ut Terent. Ad. III. 4, 19. praesens ades, et Liv. II. 48. bella praesentia instabant. Quae quum ita sint, iniuriam videtur Latinae linguae fecisse Wexius in annotatione ad Sophoclis Antigonam (v. 806.), quae quum plura contineat, quae minus recte videntur disputata esse, transcribetur a me huc integra: „Quod enim nos dicimus praesens, id rectius et verius Graeci dicunt τὸ ἐνεστώς (et sic h. l. τὸ ἔπειτα) i. e. id quod proxime sequitur tempus praesens, quoniam quod vere et inre praesens dici possit, fere non est, quippe quod eodem temporis articulo, quo cogitatur, exactum est, in eiusque locum id succedit, quod proxime consequitur, τὸ ἐνεστώς (τὸ ἔπειτα). Hinc grammatici Graeci tempus praesens rite τὸ ἐνεστώς et τὸ ἐνισταμένον nuncupant.“ Hactenus Wexius. At primum non facile est intellectu, cur Graeci, si tempus praesens nuncupassent nomine eius temporis, quod proxime succedit praesenti, cur igitur idcirco putandi essent verius et rectius in hac re egisse iis, qui id quod est praesens non dubitarunt etiam nominare praesens. Verum enim nomen impositum videlicet ei erit, quod, quale est, non quale videtur esse, designatum est. Deinde quam Wexius voluit fuisse causam, cur Graeci praesentis appellationem mutuati sint a tempore, quod proxime sequatur praesens, ea non potest profecto haberi pro causa. Praesens enim, ut supra demonstravimus, aut tamquam punctum cogitatur aut tamquam tempus. Illud est philosophorum, hoc vitae communis et vulgi. Philosophi autem adeo non curant, nam punctum illud eo, quo loquantur seu cogitent tempore, vere etiam sit, an aliud iam in eius locum successerit, ut omnem omnino temporis notionem quam maxime ab eo removeant et nunquam vere exstare illud contendunt. Vulgi autem praesens quum in latitudinem quandam pateat, in eo apparet quaeri omnino non posse, cur non fugax illud momentum praesens, sed potius, cur non id, quod proxime ab eo praeteriit, vel potius, cur non, quod utrimque ei adiacet tempus, tamquam praesens tempus a vulgo illo significatum sit. Deinde ne verum quidem esse, voce ἐνεστώς designari id tempus, quod proxime sequatur praesentis momentum, apertum, credo, ex iis est, quae de vera huius vocis significatione disputata a nobis sunt antea. Hanc ipsam autem si contenderis, cum ea, quam modo exposuimus, vocis praesens notione, ad rei quidem veritatem neutram invenies cedere alteri — utraque enim significatur tempus, quod una est cum eo, quo maxime vivimus, momento — ad sentiendi autem vim et alacritatem aliquanto felicius etiam a Romanis inventum esse praesens, quam τὸν ἐνεστώτα χρόνον a Graecis. Quam denique Wexius cum ἐνεστώς contendit particulam ἔπειτα, ea tantum abest, ut possit tempus praesens significare, ut haec ipsa ab iis soleat opponi huic tempori, ut Plat. Phaenon. 67. C. ἐν τῷ νῦν παρόντι καὶ ἐν τῷ ἔπειτα. Thuc. II. 41. τοῖς τε νῦν καὶ τοῖς ἔπειτα θανατοῦσόμεθα. Plat. Parm. p. 141., ubi tria

Praeteritum autem tempus a Graecis grammaticis plerumque nominatur ὁ παρωχημένος χρόνος (posterioris aetatis scriptores, ut Suidas s. v. χρόνος utuntur etiam activo παρωχηώς), saepe ὁ παρεληλυθώς, raro ὁ παρελθών, rarissime ὁ παρήκων, qua tamen postrema appellatione hoc tempus iam ab Aristotele est insignitum lib. IV. de auscult. natur. c. 19. §. 20. c. 20. §. 1. et lib. VI. c. 2. §. 2. *). Cui quidem copiae Latini non habent nisi unum quod opponere possint, praeteritum. Concinnant autem inter sese haec nomina ita, ut in omnibus tempus praeteriisse cogitandum sit hominem **). Futurum denique tempus singulari tantum in utraque lingua notatum est nomine; Graeci enim id appellant τὸν μέλλοντα i. e. id tempus, quod, ut praesens sit aliquando, iam nunc destinatum est, Romani futurum i. e. ex quo fiet seu gignetur aliquando praesens tempus.

Inventis autem his tribus, quae verborum formis exprimuntur, temporibus haec tota doctrina alicui exhausta iam possit et absoluta videri. Quum enim singulas horum temporum partes indicare manifesto non verbi sit, sed peculiarium, quae hunc in finem inventa sunt, vocabulorum officium, quaenam, quis dixerit, praeter universam illam poterit reliqua esse eiusmodi notatio temporum, quae solis verborum formis debeat exprimi? Enimvero nulla foret, si verba ea una, cuius adhuc nos rationem habuimus, constarent notione, id est si sola constarent copula. At eiusmodi verbum in singulis linguis non exstat nisi unum idque in Graeca quidem lingua est εἶναι, in Latina esse, quorum utrumque eam ipsam ob causam, quia sola illa copulandi vi praeditum est, non amplius

habes tempora ita significata: τὸ ποτε γεγονός, τὸ ἔπειτα μέλλον et τὸ νῦν παρόν; et ibid. p. 55. ubi praeterito oppositum est futurum hoc modo: ἐκ τοῦ ποτε εἰς τὸ ἔπειτα. Quapropter in explicando Sophocleo illo loco, ad quem Wexii annotatio pertinet, acquiescendum puto esse in interpretatione scholiastae eius, qui et τὸ ἔπειτα et τὸ μέλλον intellexit de tempore futuro, ita tamen, ut illud sit futurum a praesenti tempore prope, hoc aliquanto longius remotum.

*) Ex grammaticis invenio hoc nomen ab uno Theodoro Gaza, qui tamen in aliis etiam rebus ex Aristotele pendet, usurpatum esse. Hic enim ut p. 290. (Bas. 1541.) temporis definitionem protulit eam quam Aristoteles constituit de auscult. nat. lib. IV.; ut p. 16. eiusdem Aristotelis exemplo verbi tempus nominat πῶσιν, ut p. 136. adverbium secundum decem ab Aristotele inventas categorias in decem distribuenda censuit genera, ut denique familiares Aristoteli appellationes ἐνέργεια et δύναμις transtulit ad terminationes verborum aut integras (ἀκόν-σω) aut leviter immutatas (τύπω), ita non est mirum, ad Aristotelem eum spectantem praeteritum tempus ter nominasse παρήκοντα χρόνον p. 317. 353. 367.

**) Subtilius quam verius J. C. Scaliger (de causis. l. L. p. 291.) Romanos opinatur idcirco passiva voce dixisse praeteritum tempus, quia tempus ipsum permaneat, nos praetereamus, illud autem praetereatur.

tres primariorum illorum temporum formas obtinet; Graeci enim habent εἰμι, ἦν, ἔσομαι, Latini sum, eram, ero; quae enim praeterea formae huius posteriori verbo plerumque adiungi solent, eas ex alia constat alius significationis radice assumptas esse*). Reliqua autem verba, quotquot inveniuntur, omnia praeter copulam copulandae etiam cum subiecto rei i. e. praedicati notionem continent. Solent igitur haec verba, utpote in quibus plena demum quasi forma et species verbi appareat, simpliciter verba nominari, quum illi priori contra aut verbo substantivo aut copulae nomen impositum sit. Etenim omnia illa in duas licet dissolvere partes, quarum alterum est verbum substantivum, alterum participium, id quod idem ille, qui una cum Platone totius huius doctrinae est inventor nominandus, Aristoteles et post eum plerique omnes docuerunt grammatici. Dicit enim ille libro V. Metaph. c. 7. ὅσαχῶς γὰρ λέγεται (intellige τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας i. e. formae enunciationis seu verba) τοσαυταχῶς τὸ εἶναι σημαίνει . . . οὐδὲν γὰρ διαφέρει τὸ ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστὶ ἢ ὁ ἄνθρωπος ὑγιαίνει ἢ ὁ ἄνθρωπος βαδίζων ἐστὶ ἢ τέμνων τοῦ ἄνθρωπον βαδίζειν ἢ τέμνειν, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Atqui participio illo continetur notio, quam modo esse verbi partem diximus, praedicati. Differt autem hoc praedicatorum genus, quod cum copula in unius verbi formam conflare potest ab illo, quod seiunctum semper a copula et per se ipsum est positum, ita, ut illa significant motum aliquem seu actionem, haec contra stabilitatem aliquam seu conditionem**). Hanc igitur verborum vim sentientes Stoici, quum pleraque eorum animadverterent pluribus, quam ad triplex illud tempus designandum necessaria erant, instructa esse temporibus, hoc idcirco docebant factum esse, ut duplex indicaretur actionis, quae verbis expressa sit, ratio. Hanc enim dicebant non posse nisi aut dum fiat aut postquam iam facta sit cogitari, eamque ob causam duo

2 *

*) Graecas quidem formas εἰμι, ἦν, ἔσομαι eiusdem stirpis vinculo inter sese coniunctas esse, id omnes, credo, concessuri sunt facile; qui autem inter Latinas formas sum et erat manifestiora negaverit, quam inter sum et fui, cognationis vestigia deprehendi posse, eum audire velim locupletem profecto huius rei auctorem, Terentium Varronem, cuius haec sunt verba lib. IX. de ling. Lat. c. 52. „Item male conferunt fui, sum, ero, quod fui est perfectum, cuius series sibi, ut debet, in omnibus personis et formis constat, quod est fueram, fui, fuero; de infectis sum, quod nunc dicitur, olim dicebatur esum et in omnibus personis constabat, quod dicebantur, esum, es, est: eram, eras, erat: ero, eris, erit.“ Cf. praeterea, quae docte et sobrie de verbi esse radicibus disputata sunt a Struvio in commentatione vernaculo sermone scripta de Latina declinatione et coniugatione p. 59 — 61.

**) Hoc duplicis huius praedicatorum generis i. e. participii et adiectivi discrimen nemo melius exposuit T. Augusto Bernhardio in libro praestantissimo, qui inscriptus est „Sprachlehre“ Berol. 1801.

nova, quibus haec duplex actionis species insigniretur, inducebant nomina: παρατατικόν et συντελικόν seu τέλειον, quorum altero significari voluerunt actionem se extendentem quasi per tempus, altero actionem post tenorem illum perductam ad finem. Servata autem haec nomina simulque Stoicis tamquam auctoribus suis vindicata sunt a duobus grammaticis, quorum alter est Stephanus, haud incitus ille Dionysii Thracis interpret (Bekk. Anecd. II. p. 889.), alter Priscianus. Docemur enim ab his, praesens a Stoicis distinctum fuisse tamquam ἐνεστιῶτα παρατατικόν (τύπτω) et ἐνεστιῶτα συντελικόν (τέτυφα), itemque praeteritum tamquam παρωχημένον παρατατικόν (ἔτυπτον) et παρωχημένον συντελικόν (ἔτετύφειν)*). Quum enim ut recte ait Priscianus (VIII. 8. §. 39.), quod accidit ipsis rebus, quas agimus, nomen imponere soleamus tempori, non actionem illi, sed ipsum tempus significabant aut ut extendens se propter actionem aut ut perfectum una cum actione**).

*) Fr. A. Wolfius in praelectt. de antiq. stud. I. p. 94. scriptiorem, ait, desiderari, qua tota haec Stoicorum ratio una cum omni fragmentorum apparatu exposita sit. At nullam dum, quod sciam, Stoicorum fragmentum inventum est, quo praeter nomina illa quidquam de ratione illorum commemoratum sit. Quae enim apud Stephanum leguntur nominibus addita, ea vix credo quisquam ab ipsis Stoicis profecta fuisse opinabitur. Mentio autem illorum similiumve nominum praeterea fit ab Apoll. Dysc. lib. III. c. 24. p. 251 et p. 253., a Theodosio in Bekk. Anecd. III. p. 1013., a Theod. Gaza p. 291. (ed. Basil. 1541.), denique a Diomede p. 28. (ed. Venet. 1508.).

**) Quum igitur primaria, quae supra constituta sunt, tempora ex agendi notione haudquaquam suspensa esse appareat, non recte intelligitur de temporibus verbi statutum esse ab his, qui ab hac ipsa notione eorum originem existimarunt ducendam esse. Versati autem in hoc errore sunt ex veteribus quidem unus ex Dionysii interpretibus, qui (Bekk. Anecd. II. p. 888.) Ἀνάγκη, inquit, ἐστὶ τὸ ῥῆμα χρόνου ἔχειν· εἰ γὰρ τὸ ῥῆμα πράγμα ἐστὶ, τὸ δὲ πράγμα ἐνέργειαν ἢ πάθος ἐπαγγέλλεται, ἀνάγκη τὸ γινόμενον ἢ κατὰ πάθος ἢ κατ' ἐνέργειαν καὶ χρόνου ἔχειν, et apertius etiam Theodosius a Goettlingio editus p. 143.: ἐπεὶ τὰ ῥήματα ἐνεργείας καὶ πάθη δηλοῦσι, τὰ δὲ πάθη καὶ ἐνέργειαι ἐν χρόνῳ πάντως εἰσὶ, διὰ τοῦτο καὶ αὐτὰ τὰ ῥήματα χρόνοι ὀνομάσθησαν, ex recentioribus autem Harrisius in Herme p. 79. „Da nun Bewegungen und das Aufhören derselben die Zeit als ihre Begleiterin in sich schliessen, so bezeichnen Verba, wodurch jene ausgedrückt werden, auch die Zeit; nec non A. T. Bernhardi (Sprachlehre p. 192.). Et possint hi fortasse ipsius Aristotelis auctoritatem tamquam idoneum sententiae suae testimonium in auxilium vocare. Tempus enim ab eo (de auscult. nat. IV. c. 19.) mensura definitur motionis et quietis (ἀριθμὸς seu μέτρον κινήσεως καὶ ἡρεμίας). At quod recte hic docuit de tempore naturali seu de tempore ipso, id non recte transferri potest ad id tempus, quod exprimitur verbo. Motus enim et quietis mensura nominatum ab eo est tempus propterea quod et prioris celeritas et utriusque diuturnitas non potest nisi temporis ope intelligi. Id autem non cadit in verbi tempus, quo non quamdiu sed quando res facta sit, aperiendum est.

Bene igitur fundatam a Platone et Aristotele doctrinam temporum egregie videmus extruere coepisse Stoicos. Horum tamen sagacitatem quum propter admodum exiguam in Graeco sermone exemplorum copiam fugisset, futurum quoque in μέλλοντα παρατατικόν et μέλλοντα συντελικόν distribui posse *),

*) Quum igitur perfecti huius futuri vim ipsis Graecis hominibus iisque in perscrutando sermone quam occupatissimis adeo videamus fuisse incognitam, ut ne exstare quidem illud omnino animadverterint, magna profecto adhibenda est cautio, ne, ubi perfectum futurum flagitare nobis videtur sententia, ibi continuo etiam in hoc mutandum censeamus, quod legitur, imperfectum. Cuius quidem rei admodum illustre exemplum habemus insigni illo loco Parmenidis (p. 141. E.), quo Plato postquam τὸ ἐν demonstravit omnis omnino esse temporis expers, εἰ ἄρα, inquit, τὸ ἐν μηδαμῇ μηδενὸς μετέχει χρόνου, οὐ τέ ποτε γέγονεν οὐτ' ἐγίγνετο οὐτ' ἔν ποτέ, οὔτε νῦν γέγονεν οὔτε γίγνεται οὐτ' ἔστιν, οὐτ' ἔπειτα γενήσεται οὔτε γενήθησεται οὐτ' ἔσται. Hunc enim locum etsi Schleiermachers optime vertit: „Wenn also das Eins auf keine Weise gar keine Zeit an sich hat, so ist es weder je geworden, noch wurde es oder war es, noch ist es jetzt geworden, oder wird oder ist, noch wird es in Zukunft geworden sein oder wird werden oder wird sein“ nescio tamen, an coniectura ab eo proposita γενήσεται pro γενήσεται ad efficiendam illam sententiam non tam utique sit necessaria, quam et illi ipsi et Heindorfio et G. Dindorfio videtur esse. Heindorfius enim „inter γενήσεται, inquit, et γενήθησεται quid intersit non video. Vere, opinor, Schleiermachers correxit γεγενήσεται“, et Dindorfius in Parisina editione thesauri Steph. s. v. γίγνομαι: „quum non appareat, quomodo formae illae (γενήσεται et γενήθησεται), quae significatione non magis differunt quam ἐγενόμεν and ἐγενήθη, coniungi tamquam diversorum temporum notae potuerint, valde probabilis Schleiermachers coniectura est γεγενήσεται.“ At errat Dindorfius in eo, quod duabus illis futuri formis diversa omnino putat Platonem significare voluisse tempora. Binis enim illis formis ἐγίγνετο et γέγονε, γίγνεται et γέγονε, γενήσεται et γενήθησεται singula tantum ab eo sunt tempora, at binae diversae in singulis actiones designatae. Non igitur quaeritur, num formis γενήσεται et γενήθησεται diversa aliqua tempora, sed num diversa illa, quam Plato est indicaturus, actionis ratio potuerit exprimi. Id quod mihi quidem videtur haudquaquam negari posse. Quum enim verborum deponentium aoristi saepissime, futura nonnumquam in media quidem voce activam, in passiva autem vere passivam significationem habeant, (de qua re praeter Buttm. in gr. ampl. conferendus est praecipue Poppo in dissertatione de Graecorum verbis mediis etc. p. 25 et 26.), quidnam impedit, quominus a Platone quoque dicamus futuro γενήσεται vocis activae, γενήθησεται autem passivae significationem tributam esse. Qualis autem sit passiva huius verbi vis, ostendere possunt plura, quae apud scriptores posterioris aetatis inveniuntur, aoristi passivi exempla. Ita Paus. VIII. 13. σωροί, inquit, λίθων εἰσὶ δισστηκότες ἀπ' ἀλλήλων· ἐγενήθησαν δὲ (i. e. facti seu constructi sunt) ἐν πολέμῳ πεσοῦσιν ἀνδράσιν εἰς τιμὴν.; et Diog. Laert. Emped. 64. ὥς δὲ παρσέγνετο, ἐγενήθη συμποσίαρχος „ubi vero advenit, convivii princeps constitutus est“. Quam quidem significationem si transtuleris in futurum tempus, ubi formas γενήσεται et γενήθησεται sibi oppositas esse invenies, priorem iudicabis significare fiet (wird werden), posteriorem efficietur (wird gemacht werden). Atqui facti alicuius notionem, quam Plato manifesto exprimere voluit illo loco (wird geworden sein), multo magis inesse in posteriore quam in priore futuri forma, et sponte, credo, quisque sentiet, et luculenter confirmatur Graecorum loquendi consuetudine

lacuna ab iis relicta duobus fere seculis postea neque tum tamen a Graeco aliquo sed a Latino grammatico expleta est. Terentius Varro enim, vir in rebus grammaticis imprimis acutus, ut in universa lingua conformanda non fortunam docebat sed rationem esse dominatam, ita senas quoque temporum formas non temere ostendit a Romanis tributas verbo fuisse. Actionem enim, quae designanda sit verbo, aut infectam posse aut perfectam cogitari, utrumque autem genus esse ternis instructum temporibus. Infectae enim actionis praesens esse lego, praeteritum legebam, futurum legam; perfectae autem actionis praesens legi, praeteritum legeram, futurum legero*).

ea, qua ibi non raro ab iis positum est futurum infectum, ubi et nos et Latini posituri fuissimus perfectum; id quod Schaeferus nos docuit in apparatu ad Demosth. tom. I. p. 500. his verbis: „διαφθαρήσεται καὶ διαλυθήσεται Angerus vertit perdetur ac dilabetur. Rectius vertisset perditus ac dilapsus erit: est enim idem quod διαφθαρήν καὶ διαλυθῆναι ἔσται, quod satis arguit oppositum ἤ. Sic p. 100, 13. πεισθήσεται est i. q. πεισθέντες ἔσονται“. Quae quum ita sint, γενήσεται quoque dissolvere licebit in γενήθην ἔσται, quod quum fit, non solum non desiderabitur γεγενῆσεται sed γενήσεται erit aliquanto etiam accommodatius huius loci sententiae quam γεγενῆσεται. In singulis enim temporibus a Platone notioni esse opponitur notio fieri, posterior autem rursus dupliciter dividitur ita, ut res aut fiens (sit venia verbo) dicatur aut facta. Fiens autem res cum ea, quae est, id habet commune, quod utraque aliquod temporis spatium explet, quae autem tamquam facta opponitur illis, ad eum solum, quo facta apparet, articulum temporis pertinet; alias enim haec non opponi posset ei quae est, sed ipsa, posteaquam facta esset, exstaret sen esset. Ita autem sese intelligi velle Plato ipse ostendit eo, quod de praeterito tempore non minus quam de praesenti dixit γέγονε. Exstandi enim notio, quae hac forma continetur, non pertinet nisi ad praesens tempus; ubi igitur de praeterito ea usurpatur ita, ut hoc opponatur praesenti, solam eam vim eius patet spectari posse, quae rem factam aliquo praeterito momento (πότε) exprimit; idemque valere oportet de futuro perfecto. Atqui quum γεγενῆσεται significaturum esset id quod factum exstabit (γεγενημένον ἔσται), aptius Platonis sententiae patet esse γενήσεται quod factum aliquando erit (γενήθην ἔσται). Accedit, quod non intelligi posset, cur Plato, si γεγενῆσεται dixisset, pro inaudita futuri forma γενήσεται non usus esset vulgari γήσεται, qua quidem paullo post (B. p. 62.) de eadem re loquens utitur. Si autem eam ob causam de genuitate scripturae γήσεται ὅτε γενήσεται dubitaveris, quia, ut antea γέγονεν, ita nunc γενήσεται priorem occupare debuisset locum, hunc puta a Platone idcirco mutatum esse, ut, antegresso futuro γήσεται, eo manifestius appareret vis passiva futuri γενήσεται.

*) Passivae huius futuri formae apud Varronem quidem nulla fit mentio. Gellius autem de significatione eius narrat et antiquos iam iurisperitos dubitasse et Nigidium grammaticum, qui erat Ciceronis aequalis, singularem scripsisse commentarium. Verba enim eius lib. XVII. noctium Atticarum cap. 7. leguntur haecce: „Legis veteris Atiniae verba haec sunt: QUOD. SUBREPTUM. ERIT. EIUS. REI. AETERNA. AUCTORITAS. ESTO. Quis aliud putet in hisce verbis, quam de tempore tantum futuro legem loqui? Sed Q. Scaevola patrem suum et Brutum et Manilium, viros apprime doctos, quaesisse ait dubitasque, utrumne in post facta modo

Cf. Varr. de ling. Lat. IX. §. 32. X. §. 33. §. 47 et 48. IX. §. 96 — 100. (ed. Odofr. Muell.) *).

Haec autem Stoicorum et Varronis divisio temporum etsi prima specie naturali quadam sese commendat et quasi insinuat nobis simplicitate, accuratius

furta lex valeret, an etiam in antefacta, quoniam subreptum erit utrumque tempus videtur ostendere“. Neque aliter de hac re statuisse videtur Nigidius ille. Gellius certe hunc quoque, ait, putasse „incertam esse temporis demonstrationem“ et satis obscura oratione sua significare videri „hoc verbo non minus praeteritum tempus ostendi, quam futurum“, quum tamen, ut recte perspexerat Varro, dicendum fuisset, perfectam eo ostendi actionem futuri temporis. Cf. Emman. Alvar. instit. gr. p. 24. et Gerard. Voss. de anal. III. c. 13.

*) Obscure haec ratio significata est prioribus locis, apertius postremo. Huius tamen intelligentia quum nonnullis obstructa sit difficultatibus, accuratius paullo is nobis iam considerandus erit. Varro enim responsurus iis analogiae seu rationis grammaticae reprehensoribus, qui in verbi temporibus idcirco negabant servari analogiam, quia, quum primaria verbi tempora essent legi, lego, legam, uno tantum eorum legi significaretur perfectum, duobus autem lego et legam infectum tempus, „iniuria, inquit, reprehendunt. Nam ex eodem genere et ex divisione idem verbum, quod sumptum est, per tempora traduci potest, ut disceram, disco, discam et eadem perfecti, sic didiceram, didici, didicero. Ex quo licet scire, verborum rationem constare, sed eos qui trium temporum verba pronuntiare velint, scienter id facere.“ Offendor autem primum verbis et ex divisione in secundo enunciato. Quum enim divisio, ut recte monuit Muellerus, intelligenda sit ea, qua verbum infectum distinguitur a perfecto, genus autem Varroni aut significet id, quod nunc nominamus modum verbi, ut §. 102., aut alterutram ipsius illius divisionis partem, ut lib. I. §. 48., si priorem significationem accipimus, verborum sententia non potest esse alia, nisi aut, idem verbum, quod declinandum sit sumptum in eodem modo eademque divisione, ut in indicativo et infecta actione disco disceram discam, per tria tempora duci seu declinari posse, aut idem, quod declinandum sumptum sit verbum, in eodem modo secundam illam divisionem per tria tempora duci posse, ut in indicativi infecta non minus quam perfecta actione disco, disceram, discam, et didici, didiceram, didicero. Atqui si illam interpretationem statuerimus, ex praepositio delenda et cum Ios. Scaligero legendum erit „ex eodem genere et divisione“, sin hanc, non solum et coniunctio erit tollenda, sed pro traduci etiam scribendum tria duci. Restat altera, quam supra commemoravimus, vocis genus significatio. Huic tamen ut taceam idcirco vix posse hic locum concedi, quia paullo ante (§. 95.) sunt genera verbi separata diserte a divisionibus eius, ne tum quidem patet et coniunctionem in verborum ordine retineri posse; verba enim ex divisione tum tam arcte erunt cum antecedentibus coniungenda, ut genitivi tantum potestatem retineant nihilque aliud significant quam si dictum esset a Varrone ex eodem genere divisionis. — Non minus autem difficultatis inest in succedenti enunciato. Quum enim modo reprehenderit Varro eos, qui verbi tempora indicaturi eorum tria pronuncient illa: legi, lego, legam, et duplicem contra ostenderit distinguendam esse temporum seriem eamque tripliciter rursus in praesens, praeteritum, futurum divisam esse, mirari profecto quis poterit, quomodo iidem isti nunc tamen scienter id facere dici possint, quum potius propter insipientiam eos expectes notatum iri. Quare facile

tamen considerata nonnullis iisque haudquaquam exiguis laborare videtur difficultatibus. Etenim facile quidem intelligitur, quomodo praeteritum tempus in perfectum possit atque in infectum distribui, at eandem hanc divisionem in praesens etiam cadere, ut *τύπτω* sit praesens infectum et *τέτυφα* praesens perfectum, id sane aliquanto difficilius est intellectu; quod enim perfectum est, id videtur etiam praeteritum esse et praesentis igitur notio nullo modo cum perfectionis notione constare posse. Sive enim ipsum tempus spectas, quum praesens viderimus duobus, quae inter sese praesenti momento coniuncta sint, temporibus constare, quorum alterum iam praeterierit, alterum instet, nil minus profecto praesentis notioni convenire apparet, quam hanc ipsam perfecti iam temporis notitiam. Sive actionem spectas in temporis spatium cadentem, quae actio praesenti momento iam dicitur perfecta esse, ea nullo pacto videtur praesenti tempori attribui posse. Quae quum ita sint, non est, cur miremur, ab iis, qui post Stoicorum aetatem tractarunt grammaticam, id quoque perfectum, quod ab his tributum erat praesenti (*τέτυφα*), vindicatum fuisse praeterito. Habebant igitur tum duo praeterita perfecta seu *παρωχημένους συντελικούς* (*τέτυφα* et *ἔτετύγειν*). At aliquo tamen modo notiones eorum et nomina inter sese oportebat distinguerent. Quare quum praesens momentum intelligerent actionis praeteriti temporis perfectae eiusmodi finem et terminum esse, ut quae hunc excederet non amplius perfecta sed infecta nominanda sit actio, alterum quidem perfectorum illorum, cuius perfectionem videbant ad id ipsum momentum pertinere (*τέτυφα*), appellari simpliciter voluerunt *συντελικόν*, alterum autem, cuius inter perfectionem et praesens momentum aliquod semper videbant intercedere temporis spatium, *ὑπερσυντελικόν* i. e. ante constitutum perfectionis tempus iam perfectum (*übervollendet*). Eademque ratione ducti Romani illud simpliciter nominabant per-

cui in mentem venire possit, scīenter mutare in inscīenter. Id tamen quominus faciamus, obstant ipsius verba Varronis, qui non simpliciter dixerit pronuncient sed pronunciare velint. Sententia igitur verborum sine dubio haec est: eos, qui trium temporum verba pronunciare velint, scīenter id facere debere i. e. ita ut aut tria infectae, aut tria perfectae actionis pronuncient, non autem, ut reprehensores isti fecerint, utrumque genus inter sese commisceant. Habes tum sententiam simillimam ei, quae lib. I. §. 47. expressa est his verbis: „In hoc fere omnes homines peccant, quod perperam in tribus temporibus haec verba dicunt, quum proportionem volunt pronunciare“ i. e. quod perperam eligunt eas verborum formas, quibus proportionis instar ordinaturi sunt tempora. Illi enim quum coniungerent *legi*, *lego*, *legam*, Varroni instituere videbantur hanc proportionem: quam rationem *legi* habet ad *lego*, eandem *lego* habet ad *legam*, quum instituenda potius fuisset ita: *legeram*: *legi* = *legi*: *legero*, et *legebam*: *lego* = *lego*: *legam*. Quae si recte sunt disputata, aut debere illud seu oportere post facere excidisse, aut Varronem minus accurate loquentem esse statuendum erit.

perfectum, hoc plusquamperfectum. Quum enim ea iam res, cuius finis cadebat in praesens momentum, diceretur perfecta esse, plus etiam quam perfecta videbatur illis ea res esse, quae prorsus non attingebat illud momentum, sed tota erat in praeterito tempore posita *). Ut tamen accuratius etiam prioris perfecti cum praesenti indicaretur cognatio, Graeci nomini *παρωχημένῳ συντελικῷ* addebant etiam nomen *παρακείμενον* et paullatim omisso illo simpliciter dicebant *παρακείμενον* i. e. praeteritum perfectum momento praesenti adiacens **). Igitur quam proxime quidem consentiebant hoc perfectum tempus accedere ad praesens momentum, ipsius autem praesentis nomen ei idcirco negabant concedi posse, quia attingeret quidem, non tamen excederet illud, id autem demum temporis spatium, quod ex praeterito proficiscens egrederetur illud momentum et in futurum quoque sese porrigeret, praesentis nomine quod nuncuparetur esset dignum habendum.

Nova autem illa, quae in Stoicorum locum successerant, temporum nomina inventa quidem vix dubitare licet Alexandriae fuisse: plene certe ea enumerata habemus primum in Dionysii Thracis, Aristarchi discipuli, grammatica. Significationem autem eorum fuisse non aliam, quam quae exposita modo a nobis est, ipsorum grammaticorum satis multis et luculentis confirmari potest testimoniis. Ita princeps eorum et aetate fere et certe ingenii acumine Apollonius Dyscolus (de adv. p. 534.) expositurus, quae adverbium singulis conveniant verbi temporibus *ἐν παρωχημένων*, inquit, *διαφοραῖς πάλιν τὰ ἐπὶ παρωχημένου χρόνου ἐπιρρήματα παραλαμβάνόμενα οὐχ οἶόντε διήκειν ἐπὶ ἐνεστώτος, ὥς ἐπὶ τοῦ πάλαι ἔστιν ἐπινοῆσαι ἢ πρῶην. οἶόντε μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ τοῦτο φάναι, πάλαι ἐγεγράφειν, πάλαι ἠριστήκειν, οὐ μὴν ἔτι ἐπὶ τοῦ παρακείμενου, ἐπεὶ τὸ ἄμα νοήματι ἡνυσμένον δι' αὐτοῦ νοεῖται, τὸ δὲ πάλαι ἡνυσμένης πράξεώς ἐστι παραστατικόν.* Quibus ex verbis primum intelligimus, τὸν παρακείμενον ab Apollonio numeratum fuisse in praeteritis (*ἐν παρωχημένων διαφοραῖς*), id quod aliis etiam locis ab eo videmus factum esse, ut paullo post τὸ παρωχημένον τοῦ παρακείμενου καὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ, de constr. p. 27, 23. p. 204, 23. p. 272, 20., ubi χρόνος παρακείμενος plane etiam pro χρόνος παρωχημένος videtur positum esse. Deinde idem ille παρακείμενος paullo post tamen tamquam praesens tempus oppositum est praeterito; quod enim antea dictum erat ἐπὶ ἐνεστώτος, id postea dicitur ἐπὶ τοῦ παρα-

*) Non igitur erat, cur Scaliger (de caus. ling. Lat. p. 293.) Graecos opinaretur cautius illud tempus appellasse *ὑπερσυντελικόν*, Latini ridinscule plusquamperfectum. Utrique enim in eo denominando manifesto ab eadem cogitandi ratione profecti sunt. Cf. Theodos. ed. Goettl. p. 145.

**) Plenum nomen παρακείμενος συντελικός habes apud Theodosium edit. a Goettlingio p. 145.

κειμένου: nimirum praeteritum tempus vocatum est idcirco, quia res eo designetur perfecta, praesens autem, quia perfectio illa non in praeteritum aliquod, sed in praesens momentum incidat. Eodemque igitur modo explicanda erunt haec eius verba in libro III. de constr. c. 6. p. 205.: ἐντεῦθεν δὲ πειθόμεθα, ὅτι οὐ παρωχημένου συντέλειαν σημαίνει ὁ παρακείμενος, τὴν γε μὴν ἐνεστώσαν, *) neque aliter est consequens eodem libro intelligendos esse duos locos, quibus praesens tempus, ut accuratius distinguatur a perfecto, nominatum est χρόνος κατὰ τὸν ἐνεστώτα παρατεινόμενος p. 251, 23. **) et ἐνεστώως παρατεινόμενος p. 253, 3. ***) Denique plus-

*) Franciscum Portum igitur patet non satis accurate haec verba in latinum sermonem convertisse ita: „hinc coniciamus τὸν παρακείμενον non significare praeteritum absolutum, sed temporis praesentis absolutionem.“ Temporibus enim praesentis nulla potest absolutio esse, sed actionis tantum ex praeterito ad praesens pertinentis, quod sentiens Apollonius praeteriti absolutioni non opposuit praesentis, sed potius praesentem i. e. in praesens momentum cadentem absolutionem (ἐνεστώσαν συντέλειαν).

**) Hoc loco nescio an I. Bekkerus nimia codicis regii A fiducia inductus scripturam librorum plerorumque omnium ταῦτα γὰρ τῷ παρωχημένῳ ἀντίκειται non recte mutarit in τὰ γὰρ τοῦ παρωχημένου ἀντίκειται. Quum enim Apollonius antea manifestum esse dixerit, patrem, qui exactis iam Olympiis victoriam precaretur filio, non aut futuro aut praesenti tempore expressurum esse precationem illam, otiose profecto nunc adderetur ab eo τὰ γὰρ τοῦ παρωχημένου ἀντίκειται i. e. praeteritum enim tempus seu res praeterito tempore acta obstat, quum contra, si scripseris ταῦτα γὰρ τῷ παρωχημένῳ ἀντίκειται haec verba aptissime non ad rem, quae per se ipsa iam patet, sed ad inusitatam praesentis appellationem explicandam a grammatico videbis addita esse. Etenim si simpliciter ille dixisset, patris illius preces neque futurum tempus neque praesens (ἐνεστώτα) esse spectaturas, facile quis ei oblicere potuisset, παρακείμενον etiam χρόνον, cuius optativum dicatur usurpari oportere a patre illo, εἴθε νενικήκοι, aliquo tamen modo de ipsius Apollonii sententia (p. 205.) esse praesens tempus. Itaque pro simpliciter τοῦ ἐνεστώτος χρόνου plenius dicit τοῦ κατὰ τὸν ἐνεστώτα παρατεινόμενον χρόνον, tumque addit: „haec enim, futurum et praesens infectum, opposita sunt tempori praeterito,“ eodem plane modo quo in Bekk. Anecd. II. p. 533, 23. ab eo dictum est τὸ γὰρ αὐριον ἀντικείμενον τῷ παρωχημένῳ et ibid. p. 939, 11. ab alio nescio quo τὸ αὐριον ἀντίκειται τῷ παρωχημένῳ, significans simul, perfectum tempus (παρακείμενον), cuius perfectio tantum in praesens tempus cadat, quod ipsum autem sit praeteriti temporis, non opponi posse praeterito.

***) Posteriorem locum Portus interpretatus est ita: „κλεισθῶ ἢ θύρα differt ab illo κεκλεισθῶ ἢ θύρα, quoniam praesentis temporis prolatio indicat praesens imperium, quod est proprium praesentis, quod tempus producit, sed κεκλεισθῶ indicat id quod factum iam pridem oportuerat.“ Recte, dummodo vocem ὑπόγειον vertisset accuratius. Haec enim vox quum et de eo dicatur quod paullo ante est factum, et de eo quod paullo post demum futurum est (Etym. m. p. 349, 12. Etym. Gud. p. 629, 51. Hesych. et Suid.), hic patet posteriori tantum significationi posse locum concedi, quae a nonnullis, ut ab auctore λέξεων ἑτοιμῶν in Bekk. Anecd. p. 213. (cf. p. 210.) et a Moeride Attic. p. 377., sola etiam tribuitur voca-

quamperfecti absolutionem longiore videmus intervallo a praesenti momento cogitari ab eo remotam eamque ob causam, cui remotioris temporis adverbium *πά-λαι* tribuatur, idoneam.

Apollonium autem tamquam signiferum suum sequuti sunt reliqui. Ut ille igitur id praeteriti temporis punctum, in quod plusquamperfecti perfectio caderet, significaverat adverbio *πάλαι*, ita hi id praesens punctum, in quod perfecti (*παρακειμένου*) absolutionem putabant cadere, significabant adverbio *ἄρτι*. Etenim *ἄρτι* significat id momentum, quod quam proxime antecedit alii (Lob. ad Phryn. p. 19.). Iam quidem grammaticis τοῦ παρακειμένου perfectio in ipsum videbatur momentum praesens neque in id, quod ei quamvis proxime antecedit, incidere. Quum autem hoc praesens momentum cum actione procedente pateat ipsum quoque procedere, extremum autem actionis perfectae momentum ex loco sese non moveat, sed ubi actio perducta ad finem fuit, ibi necessario etiam remaneat, utrumque sequitur eo ipso tantum articulo temporis, quo actio absoluta est, idem, proximo autem statim momento diversum esse, quare, qui accuratius vult loqui, ei non nunc, sed modo actionem a se perfectam esse dicendum erit. Id igitur sentientes grammatici rationem, quam perfectum et plusquamperfectum haberent ad praesens tempus, satis apte indicabant ita, ut perfecto dicerent rem designari *ἄρτι* sen modo, plusquamperfecto *πάλαι* seu pridem i. e. ita ut inter perfectionem et praesens momentum aliquantum temporis interesset, ad finem perductam. Ita Choeroboscus in Bekk. Anecd. III. p. 1281. ὁ παρακείμενος ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὸ ἄρτι. τὸ γὰρ τέτυφα τὸ ἄρτι πληρωθὲν δηλοῖ. ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς ἔχει ἐν ἑαυτῷ τὸ πά-λαι. τὸ γὰρ ἐτετύφειν τὸ πάλαι πληρωθὲν δηλοῖ. ibid. II. p. 891. unus ex interpretibus Dionysii Thracis: ὁ παρακείμενος καὶ ὁ ὑπερσυντελικὸς ὁρίζονται ἀμφοτέρωι τὸ πότε, ὁ μὲν τῷ ἄρτι, ὁ δὲ τῷ πάλαι. Theodorus Gaza lib. IV. p. 291. (Basil. 1541.) ὁ παρακείμενος τὸ παρεληλυθὸς ἄρτι, ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς τὸ παρεληλυθὸς πάλαι. Causam simul denominationis παρακείμενος addiderunt Maximus Planudes in Bachm. Anecd. II. 6. παρακείμενός ἐστιν, ὅταν περὶ τοῦ ἄρτι παρεληλυθότος χρόνου λέγω, τί πεποίηκα κατ' αὐτόν. ὡς ὅταν ἄρτι πεπαιμένος τοῦ γράφειν καὶ ἐρωτηθεῖς, τί ἄρτι πεποίηκα, εἶπω, ὅτι γέγραφα. Καλῶς ἄρα καὶ παρακείμενος λέγεται· ὁ γὰρ ἄρτι παρελθὼν χρόνος παρᾶκειται πάντως τῷ ἐνεστώτι καὶ ἐγγύς ἐστι τούτου. Stephanus in

bulo illi. Sententia igitur Apollonii videtur haec esse: Imperativus praesentis indicat imperium paullo post praes. momentum exsequendum; praesentis enim quum proprium sit, ex praeterito sese extendere (*παρατείνεσθαι*) in futurum, id imperii tempus quod succedit illi momento, praesentis forma poterit exprimi, perfectum autem tempus quum attingat, non migret illud momentum, eo quidem ita tantum sequitur imperium aliquod posse exprimi, ut rem iussam tunc ipsum, quum iubemus, postulemus etiam iam perfectam esse.

Bekk. Anecd. II. p. 889. ὁ δὲ παρακείμενος νοεῖται ἀπὸ τοῦ παρακεῖσθαι καὶ ἐγγὺς εἶναι τοῦ ἐνεστώτος. **Theodosius ed. a Goettl. p. 145.** εἰ δὲ τελειώσω μου τὴν ἐνέργειαν, ἔστι δὲ τὸ τέλος αὐτῆς προσεχὲς καὶ νῦν ἀκμὴν τελειωθὲν καὶ παρακείμενον ἐγγύς, ὁ τοιοῦτος χρόνος παρακείμενος ὀνομάζεται· ὅταν γὰρ λέγω γέγραφα, τοῦτο λέγω, ὅτι νῦν ἐπανσάμην τοῦ γράφειν· διὰ τοῦτο καὶ ὁ τοιοῦτος χρόνος ὁ παρακείμενος συντελικὸς ὀνομάζεται ὡς σύνεγγυς τελεσθεὶς, iamque alteri etiam perfecto tempore cur nomen ὑπερσυντελικὸς sit inditum, exponitur ab eo his verbis: ὅταν δὲ μετὰ τὸ τελειῶσαί με τὴν ἐνέργειαν διέλθῃ καιρὸς, ὁ τοιοῦτος χρόνος ὑπερσυντελικὸς ὀνομάζεται· ἐὰν γὰρ ὁ νῦν τελειωθείς καὶ παρακειμένην ἔχων τὴν συμπλήρωσιν συντελικὸς ὀνομάζεται, πάντως ὁ πορρωτέρω τούτου καὶ ὑπὲρ τούτου κείμενος ὑπερσυντελικὸς δικαίως κληθήσεται. **Alii paullo inscitius** πάλαι illud de temporis puncto intelligunt, quod non omnino aliquo, sed longo etiam intervallo a praesenti momento remotum sit. Ita **Moschopolus** in erotematis apud **Ritschel.** in prolegg. ad **Thom. Mag. p. CXXXII.** ὑπερσυντελικὸς ὁ ἀπὸ πολλοῦ πληρωθεὶς. Idque praecipue fecerunt **Latini grammatici,** ut **Diomedes lib. I. p. 20.** (ed. Venet. 1508.): „Hoc unum a praeterito perfecto distat praeteritum plusquamperfectum, quod superioris temporis recens videri potest actus, sequentis longa interpositione.“ *) **Sosipater Charisius lib. II. p. 174.** (ed. Basil. 1551.) et **Martianus Capella p. 99.** (Lugd. Bat. p. 1539.), quorum ab altero perfectum nominatur differentia seu species praeteriti oblitterata, ab altero recordativa: scilicet res eo expressae adeo iis videbantur a praesenti momento remotae esse, ut oblitteratae fere essent neque memoria earum nisi recordatione quadam a nobis repeti posset. **Servius Honoratus** (interpret. in secundam **Donati** editionem **Mediol. 1510. fol. LXXXVI.**): „Praeteritum perfectum, quod completum est paullo ante, ut legi, praeteritum plusquamperfectum, quod completum est olim, ut legeram.“ **Priscianus lib. VIII. c. 8. §. 39.** (ed. **Krehl.**): „Nihil certius ad notitiam nostram potest venire, quam gesta per diversum temporis spatium praeteriti. Facile enim dignoscitur, utrum multo ante an nuper facta sint“ et c. 10. §. 53. „Ex praeterito perfecto nascitur praeteritum plusquamperfectum, si inveteraverit res a nobis perfecta. Mox enim scripto versu, recenti adhuc perfectione, dico scripsi: sin dudum sit perfectum, incipit transire in plusquamperfectum.“ Hinc factum est, ut plusquamperfecto nonnullis significari videretur ipsius perfecti temporis perfectio. Ita

*) Mireris tamen, in **Diomede** quoque aliquod **Stoico-Varronianae** rationis temporum reperiri vestigium; quum enim alias semper perfectum ab eo, ut ab omnibus illius aetatis grammaticis, vocatum sit tempus praeteritum perfectum, semel tamen (p. 28.) nominatur tempus praesens perfectum.

Moschopolus in *methodo artis grammaticae Graecae* (Basil. ex offic. Walder. 1540.) p. 13. hanc profert definitionem illorum temporum: *Τί ἐστι παρακείμενος; ὁ τὴν ἐνέργειαν ἢ τὸ πάθος ἔχων παρακείμενα τῷ ἐνεστώτι. Τί ἐστὶν ὑπερσυντελικός; παρακείμενος πεπληρωμένος*, et **Theodorus Gaza** loco supra excitato ὁ παρακείμενος, inquit, τὸ παρεληλυθὸς ἄρτι καὶ ἐντελὲς τοῦ ἐνεστώτος. *) ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς τὸ παρεληλυθὸς πάλαι καὶ ἐντελὲς τοῦ παρακειμένου.

Constituta autem ita, ut modo demonstravimus, perfectae rei notio, a futuro quidem tempore non potuit non existimari quam alienissima. Terminum enim perfectae actionis dicebant praesens momentum, futurum autem non capit initium nisi post illum terminum. Graecorum igitur grammatici quum nonnulla verborum animadverterent praeter propriam et vulgarem habere aliam quoque eamque cum perfecto (παρακειμένῳ) cognatam futuri formam, huius perfectionem colligebant debere in futuro tempore eodem modo adiacere praesenti momento, quo perfectum ei adiaceret in praeterito. Quare utramque futuri formam inter sese distinguere coeperunt ita, ut altera rem significari paullo post, altera aut omnino post aut multo etiam post futuram contenderent. Posteriores igitur simpliciter nominabant τὸν μέλλοντα, priorem autem μετ' ὀλίγον μέλλοντα. Ita **Choeroboscus** in *Bekk. Anecd. III.* p. 1281. τὰ μέλλοντα ἢ μετ' ὀλίγον μέλλουσι γενέσθαι ἢ μετὰ πολὺ. ἀλλ' ἐπειδὴ τὰ μέλλοντα ἄγνωστά εἰσι, τὰ δὲ ἄγνωστα οὐ δύναται ἄτε δὴ ἄγνοούμενα διαίρεσιν ἐπιδέξασθαι, διὰ τοῦτο οὐκ ἐπιδέχεται διαίρεσιν ὁ μέλλων, ὅμως δὲ αὐτὸν διεῖλον οἱ Ἀθηναῖοι εἰς μέλλοντα καὶ μετ' ὀλίγον μέλλοντα. **Stephanus** ib. II. p. 892. τῷ δὲ μέλλοντι διασάφησις τοῦ ποσοῦ τῆς μελλήσεως ὁ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς μετ' ὀλίγον μέλλων. **Maximus Planudes** in *Bachm. Anecd.* p. 7. Μετ' ὀλίγον μέλλων ἐστίν, ὅταν περὶ τοῦ ὅσου οὐπω μέλλοντος χρόνου, τί κατ' αὐτὸν ᾗτοι

*) Quod Apollonius igitur loco supra (p. 18.) excitato prudenter nominarat συντίλειαν ἐνεστώσαν, id a Theodoro perverse vocatur ἐντελὲς τοῦ ἐνεστώτος. Quaerenti autem, quidnam Theodorus hoc ἐντελὲς τοῦ ἐνεστώτος intelligi velit et quomodo hoc tempus ab eo et praeteritum simul possit et praesens nominari, responsum suppeditabit Priscianus his verbis: „Ex praesenti nascitur praeteritum imperfectum, cum non ad finem perferimus in praesenti id quod coepimus. Si incipiam in praesenti versum scribere et imperfectum relinquam, tunc utor praeterito imperfecto, dicens scribebam versum. Ex eodem, id est praesenti nascitur etiam perfectum. Si enim ad finem perveniat praesens incoeptum, statim utimur praeterito perfecto: continuo enim scripto ad finem versu, dico scripsi versum.“ Scilicet confundentes illi rem, quae tempore agitur, cum tempore ipso, quia res, quae praesenti tempore fit, praesenti etiam momento aliquando dici poterit perfecta esse, ipsum praesens tempus putabant perfectionis alicuius particeps esse. Miror autem, Ramshornium Prisciani illa definitione perfecti in grammatica sua (ed. alt. p. 588.) ita fuisse usum, quasi vera inde huius temporis vis et natura cognosci possit.

ποιήσω ἢ πείσομαι, λέγω. *) **Theodosius** ed. a Goettl. p. 148. Εἰ μὲν μέλλω τι ποιῆσαι μετὰ καιρὸν ἑκατόν, οὗτος ὁ χρόνος ὁ μέλλων ἀπλῶς καλεῖται· εἰ δὲ μέλλω τι ποιῆσαι ἢ παθεῖν μετ' ὀλίγον τινα καὶ στενὸν καιρὸν, ὁ τοιοῦτος χρόνος μετ' ὀλίγον μέλλων καλεῖται· ὅταν γὰρ εἴπω τετύπομαι, τότε ἐδήλωσα, ὅτι μετ' ὀλίγον μέλλει ἀποβῆναι ἡ τύψις. Διὰ τοῦτο καὶ ἐκ τοῦ παθητικοῦ παρακειμένου κανονίζεται ὁ τοιοῦτος χρόνος, διότι ὥσπερ ἐκείνος παρακειμένην ἔχει τὴν πλήρωσιν ἐγγύς, οὕτω καὶ οὗτος ἔχει τὸ μέλλον ἐγγύς παρακειμένου. **Etym. M.** p. 507, 50. ubi ὁ μέλλων dicitur infinitus esse (cf. **Prisc. VIII.** 8, 38.), id est libere per totum futurum tempus vagari posse, ὁ μετ' ὀλίγον μέλλων autem ὠρισμένος i. e. terminatus seu finitus esse praesenti momento. **) **Macrobius** de differ. et societ. Graeci Latinique verbi p. 722. (ed. Zeun.) „Nec ab re erat, paullo post futurum ex paullo ante transacto tempore procreari.“ ***) **In** Latina autem lingua quum pleraeque futuri huius formae congruant cum formis perfecti coniunctivi, grammatici futurum quoque illud coeperunt adscribere huic modo et nominare futurum subiunctivi (cf. **Probus** ed. **Lindem.** p. 69., **Diomedes** fol. XIII., **Sosipater Charisius** p. 177 — 184., **Priscianus VIII.** 10, 55.), unde singularis illa et plane mira exorta est opinio, qua Latinam linguam contenderent nil habere, quod cum Graecorum paullo post futuro comparari posset. Ita **Priscianus VIII.** 8, 38. „Graeci, inquit, futurum quoque diviserunt in quibusdam verbis, in futurum infinitum, ut τύπομαι, et paullo post futurum, quod et Atticum dicunt, τετύπομαι. Melius ta-

*) Sequuntur deinde haec verba: Ποιήσω μὲν, ὡς ὅταν περὶ τοῦ οὐκ ἤδη μέλλοντος χρόνου ἐρωτηθεῖς, τί ποιήσω, εἴπω, ὅτι πορεύσομαι· πείσομαι δὲ, ὅταν περὶ τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἐρωτηθεῖς, τί πείσομαι, εἴπω, ὅτι γεγράψομαι. Leguntur et haec et quae supra attulimus verba in **Phavorini** etiam lexico p. 1232. (**Basil.** 1538.) ubi tamen ἢ τί ποιήσω ἢ τί πείσομαι necessario videtur mutandum in ἢτοι ποιήσω ἢ πείσομαι, ut recte est scriptum apud **Planudem**. Videtur autem utrique praeterea insidere aliquod vitium. Quum enim post tertii, quod vocant futuri definitionem huius ipsius futuri afferri deberent exempla, miraberis primum allatum tamen esse πορεύσομαι et tum demum γεγράψομαι. Quare pro πορεύσομαι scribendum videtur πεπορεύσομαι. Caeterum quam parum **Planudes** utriusque huius futuri discrimen habuerit cognitum, videre iam licet inde, quod p. 4, 18. πλήρης ἔσται dicitur idem esse quod πληρωθήσεται, πλήρης γενήσεται autem idem quod πεπληρώσεται, quod contra dicendum fuisse quis non videat?

) Cf. **Etym. M. p. 548, 35. ἐπειδὴ ὁ παρῳχημένος χρόνος εἰς πολλὰ ἐρίσκεται καταμερισθεῖς, τούτου χάριν καὶ ὁ μέλλων πρῶτος ὢν, εἰ ἄρα μετ' οὐ πολὺ μέλλει· εἰ ἄρα μετ' ὀλίγον, ἐπενοήθη ὁ μετ' ὀλίγον μέλλων, quibus ex verbis ita demum probabilis mihi videtur sententia elici posse, ut verba μετ' οὐ πολὺ mutantur in μετὰ πολὺ.

***) Non igitur recte videtur autumatam fuisse a **Buttmanno** (**Gr. gr.** S. 138.), magistros veteres in tribuendo huic formae nomine paullo post futuri spectasse eam loquendi consuetudinem, qua saepe celeritas quaedam ea soleat exprimi.

men Romani considerata futuri ratione, quae omnino incerta est, simplici in eo voce utuntur nec finitum spatium futuri," et Macrobius p. 721. et 722. „Illa vero species propria Graecorum est, quod habet in genere passivo futurum, quod rem significat non multo post, sed mox futuram, ut πεποιήσομαι, γεγρά-
ησομαι.“ *)

Itaque haud leviter videmus Stoicorum et Varronis divisionem temporum ab insequentium seculorum grammaticis immutatam fuisse. Illi enim eandem in omnibus temporibus sequentes partiendi rationem, eorum singulis assignaverant et infectam actionem et perfectam, hi in praeterito tantum rationem illam tenentes binas huic assignabant actiones perfectas, unam infectam, ex reliquis duobus praesens omnino non dividebant, futurum in paullo post futurum et simplex vel in finitum et infinitum. Inventa autem haec nova divisio, ut iam supra monuimus, ab Alexandrinis hereditate quasi ab iis transmissa erat ad Byzantinos, hi-que, quum partim sponte sua partim armorum vi cedentes reliquissent patriam, integram eam atque intactam tradiderunt viris iuvenibusque, qui renatarum litterarum amore ducti ex omnibus Europae partibus confluebant in Italiam. His tamen, quorum iudicium nondum inveteratis doctrinae opinionibus erat corruptum, non diu profecto potuit eorum ratio omni vera ratione destituta satisfacere. Guilelmus Grocinus certe Britannus, qui Chalcondylae scholis interfuerat Florentiae, quum in patriam reversus publice doceret litteras Oxoniae, **) non dubitavit, sprete praeceptoris doctrina temporum, ad puriores redire fontes indeque Stoicorum et Varronis rationem, plus quam quinque per se-

*) Insignius etiam grammaticorum Latinorum incogitantiae specimen habes in Corpore grammat. Lat. a Lindemanno edito tom. I. p. 313., ubi haec leguntur verba in Asperi arte grammatica: „Futuri gradus sunt duo: perfectum ut legam, plusquamperfectum, ut legeram;“ quibus a Lindemanno haec addita est annotatio: „Totus hic locus accessit e Cod. Go. Non memini, usquam alibi sic appellari futurum simplex et exactum.“ Credo; est enim illa perversa plane et a natura horum temporum prorsus aliena appellatio, quae non potuit nisi ab inepto aliquo proficisci grammatico, qui nullam nec quantitatis nec significationis in temporibus rationem habens, solam externam litterarum similitudinem spectaverit. Quare, quum reliqua huius artis praecepta sint satis prudenter ab Asperq tradita et formae praeterea futuri exacti illius aetate, ut modo ostendimus, non indicativi sed coniunctivi temporibus annumeratae sint, melius, credo, fecisset Lindemannus, si non continuo haec verba ex uno illo libro Gothano in verborum etiam ordinem recepisset, sed tamquam insulsum nescio cuius grammatici additamentum in scripturae potius varietatem amandasset.

**) Cf. quae de Grocino, ex antiquioribus scriptoribus hausta, narrantur et a Boernero in libro utilissimo de doctis hominibus Gr. litterarum Gr. in Italia restauratoribus p. 184., et ab Harrisio in Herme p. 106.

cula neglectam illam et quasi sepultam, protrahere rursus in lucem. At quum satis hic habuisse videatur, inventam eam tantum ostendere, non autem enodatam diligenter exponere, fieri non potuit, quin, quo olim iam huius artis magistri, ne amplecterentur eam, prohibebantur, id nunc quoque ei, quominus statim probaretur, esset impedimento. Duo igitur viri inprimis docti atque acuti, qui paullo post Grocinum scribebant grammaticas, Thomas Linacer et I. Caesar Scaliger, rationem illam quam ex Grocini grammatica habebant perceptam, prorsus aspernati aut non dignam certe, quam in tradenda hac doctrina sequerentur, arbitrati sunt. Linacer enim (de emend. struct. Lat. serm. lib. I. p. 32. ed. Basil. 1542.) postquam, sibimet ipsi quid de temporibus videatur, exposuit, „Grocinus, inquit, ut in omni litterarum genere, ita in hoc quoque curiosus, aliter tempora dividere solebat. Nam praesens, praeteritum et futurum, singula duplicia fecit hoc modo: Praesens imperfectum, ut scribo: praesens perfectum *παρὰκειμενον* graece dictum, ut scripsi: hactenus cum Stoicis sentiens, ut ex Prisciano accipimus. Deinde futurum imperfectum, ut scribam: futurum exactum sive absolutum, ut scripsero. Rursus praeteritum imperfectum, ut scribebam; perfectum, ut scripseram.“ *) Scaliger autem (de causis ling. Lat. lib. V. c. 113. p. 296.): „Ex his, inquit, percipimus, Grocinum acute admodum tempora divisisse, sed minus commode. Tria enim constituit ut nos, sed quae bifariam secat, perfectum et imperfectum, sic: Praeteritum imperfectum, amabam: Praeteritum perfectum, amaveram. Recte sane. Et Praesens imperfectum, amo. Recte hactenus: continuat enim amorem neque absolvit. At praesens perfectum, amavi: quis hoc dicat? Amavi ego triginta abhinc annis. Quis annum iam tricesimum praesentem dicat? De futuro autem ut non male sentit, ita controversum est: Futurum, inquit imperfectum, amabo: perfectum, amavero; non male inquam: significat enim amavero, amorem futurum et absolutum iri: amabo perfectionem nullam indicat. Controversum autem dixi, propterea quod doctiores sentiunt, non absolutionem illam sed celeritatem quandam, ut sit *ἀόριστος* Aeolensium *τίσσειαν* *Λυραὶ ἐμοὶ δάξοντα*. Mihi Grocini sententia plus placet.“ **) Quae quidem legens ne forte mireris, Linacrum et Scaligerum, quos non dubitare licet lectitasse libros de analogia, plenae tamen huius rationis laudem non ad verum eius auctorem Varronem, sed ad ipsum retulisse Grocinum, scias

*) Nos quidem nunc ex Stephani in Dionysium commentariis scimus, praeteriti quoque hanc divisionem a Stoicis esse profectam.

**) Quod ne Harrisio quidem et Reizio contigit, ut Grocini grammaticam potuerint oculis usurpare, eius multo minus etiam est mihi, quamquam diligenter eam circumspicienti, opportunitas facta. Loquentes igitur induxi eos viros, qui ipsi sine dubio pervoluntarunt libellum.

scias oportet, a Varrone illam rationem magis significatam quam luculenter et diserte expositam esse, *) unde factum est, ut permulti etiam post illos viri doctissimi ne omnino quidem exstare eam in Varronis scriptis animadverterint. Caeterum Scaligero vides in tota Grocini ratione nil aliud fuisse offensui, quam quo offensi iam erant grammatici veteres, quod perfecto in ea tributum sit nomen praesentis; neque aliam ob causam Thomam Linacrum ei denegasse assensum suum, manifestissime potest intelligi inde, quod huius ipsius doctrina temporum, si unum exceperis perfectum, non admodum a spreta Grocini illa ratione dissentit. Horum autem virorum quum permagna esset apud homines doctos auctoritas, factum est, ut Stoico-Varroniana divisio temporum, vix revocata a Grocino in vitam, iam rursus in priorem oblivionem recideret et duo paene per integra saecula neglecta ab omnibus et oblitterata iaceret. Non defuerunt quidem, qui ad Varronis exemplum se divisuros profiterentur tempora et vere conarentur dividere, hi autem quum ea Varronis verba, in quibus solis, etsi obscurius paullo, Stoicorum illa ratio significata est: „Nam ex eodem genere et divisione idem verbum, quod sumptum est, per tempora traduci potest, ut disceram, disco, discam, et eadem perfecti, sic didiceram, didici, didicero“ (cf. supra p. 15.) haec igitur verba quum non ad terna primaria in utroque actionis genere tempora viderent referenda esse, facile profecto intelligi potest, cur, quod praesens nominandum fuisset perfectum, ne tum quidem dubitarint nominare praeteritum perfectum, id quod prae caeteris accidit Ioanni Gerardo Vossio de anal. libr. III. c. 13.

Verumenimvero grammatici huius aetatis etsi monstratam a Grocino Stoicorum Varronisque viam reliquerant, de duabus tamen rebus, in quibus ad unum omnes pertinaciter erraverant magistri antiqui, iam aliter veriusque coeperunt statuere. Primum enim, quam illi futuri formam nominarant futurum subiunctivi, eam hi censebant in indicativo reponendam et appellandam esse futurum exactum. Ita enim maluerunt dicere quam futurum perfectum, non quo diversum aliquod nomine illo significaretur atque hoc, sed quia perfecti appellatio tam propria iis videbatur esse τῷ παρακειμένῳ et universo praeterito tempori, ut id in futurum quoque transferre sint veriti. Usus autem hoc nomine est primus Pomponius, **) post eum Thomas Linacer, qui tamen,

*) Cf. Fr. Aug. Wolfius in praelectt. de studiis antiquit. ed. a Guertlero I. p. 94. Die Stoiker haben diese Vorstellung gehabt; sie steckt auch im Varro de lingua Lat. im zweiten und dritten Buche, aber nur in Winken.

**) Ab hoc enim hanc denominationem profectam esse testatur Linacer p. 31. Est autem is sine dubio Varronis ille editor princeps Iulius Pomponius Laetus, quem constat Romae obiisse anno 1497.

etsi non male hoc futurum ex praeterito et futuro observat esse mixtum, nondum plane id distinxit a coniunctivo perfecti, id quod fecit paullo post Emmanu-
lis Alvarus, qui libro I. de institut. gr. p. 32. (ed. Colon. Agripp. 1596.) commemorata Varronis divisione temporum in infecta et perfecta quosdam, ait, eius sententiae accedentes futurum hoc appellasse exactum et sex tempora ad-
scripsisse indicativo, tumque hanc appellationem idoneis nonnullis ex Cicerone petitis exemplis confirmat. *) Neque ita multo post in clariore etiam luce hu-
ius temporis natura posita est a Thoma Bangio, **) qui „Futurum perfe-
ctum, inquit, vocatur alias exactum et habet significationem quidem futuri, sed
ita, ut praeteriti significationem simul inferat. Dicit enim, futurum quidem esse,
sed tamen in collatione cum alio praeteritum consignificat. E. g. Cicero ad Att.
lib. 9.: „Cum tu haec leges, ego fortasse illum convenero.“ Confert Attici le-
ctionem cum sua conventionem. Utrumque est futurum. Sed cum conventio Ci-
ceronis confertur cum lectione Attici, dicit, se quidem conventurum esse, at
vero tum id ipsum perfecisse, cum Atticus leget. Sic Act. 4. in Verrem: „Da
mihi hoc, iam tibi maximam defensionis partem praecideris.“ Praecideris enim
non idem est quod praecides, nec idem quod praecidisti. Mixtura ergo hic
fit futuri et praeteriti. Nec referri ad coniunctivum potest, nec ad potentialem vel
permissivum. Habet ergo hoc tempus aliquid peculiaris significationis et elegan-
tiae.“ Eodemque fere tempore Gerardus Vossius nisus Varronis auctoritate
de futuri huius notione facit haec verba: „Quum dico, interim fecero, rem
significo, quae nondum est, et eandem significo, quasi fuerit, eoque in hoc tem-
pore et futuri et praeteriti significatio concurrit, unde futurum exactum appel-
latur: quod qui a futuro simplici non distinxerunt, haut satis cogitarunt, aliud
esse, cum coenabo, aliud cum coenavero: illud valere inter coenandum,
hoc coena peracta; parque in similibus ratio est.“ Henricus Ursinus
denique in institut. ling. Lat. Vol. I. p. 546 — 550. (Ratisp. 1701.) accurata et
docta disputatione de huius futuri vi omnes de indicativa eius significatione du-
bitantibus exemit scrupulos. ***)

*) Minus accurate in eiusdem Alvari grammatica, scholarum in usum conscripta et addito non
anno impressa Patavii, ab ipso Varrone futuri exacti nomen repetitur.

**) Thomae Bangii observationes philologicae Havniae 1640. lib. I. p. 476., ubi simul nemo
planius dicitur de hac re egisse, quam D. Iersinus in Paralipp. p. 27, 28.

***) Frustra ei obloquutus est Iac. Perizonius ad Sanctii Minervam p. 100. sqq. neque dignus
est, qui audiatur Aug. Goerenzius (de vi futuri exacti optativa, Zwickaviae), bene ille
refutatus nec levium errorum convictus ab Aug. Matthiae in dissertatione edita Alten-
burgi de usu futuri exacti Latinorum (Verm. Schriften p. 71. sqq.).

Ut autem viri, quos modo commemoravimus, restituerunt Latinae grammaticae quasi ereptam ei futuri perfecti sive exacti formam, ita ab iisdem his ne Graecum quidem sermonem carere hoc tempore demonstratum est. Et in activo quidem Graecos ad huius futuri vim exprimendam futurum ἔσομαι cum participio perfecti alius, quodcunque sit, verbi coniungere (τετυγώς ἔσομαι), id primus docuit et exemplis nonnullis ex Aristotele et Demosthene sumptis confirmavit Th. Linacer et post eum Gerardus Vossius; in passivo autem ab illis hunc in finem usurpari futurum vere perfectum τετύχθαι, nemo prius videtur perspexisse Henrico Ursino, quamquam hic perverso illo, quod grammatici huic formae imposuerant, inductus nomine, impetrare a se non potuit, quin cum perfectae rei notione futuri temporis simul tamen paullo post perfectae notionem in eo coniunctam esse existimaverit. Verba enim eius de illa re haec sunt: „Graeci hoc futurum in verbis in ω vel μι circumscribunt per participium praeteritum cum futuro verbi sum, ut τετυγώς ἔσομαι verberavero. Contra in indicativo passivae formae verborum habent iidem suum paullo post futurum, Latinorum futuro exacto vocis activae fere respondens: nam et ipsum significationem praeteritam simul ac futuram suo modo involvit: ut τετύχθαι paullo post verberatus ero, quod et in his et in deponentibus ac communibus versa vice circumscribere rursum solent Latini.“ Institt. ling. Lat. sect. V. c. VI. not. 4., eademque repetuntur in eius Graeca grammatica, ed. Norimb. 1714. p. 164.

Alterum autem, in quo grammatici post Grocinum ab antecedentibus ei coeperunt discedere, ad discrimen, quod inter perfectum et plusquamperfectum intercederet, pertinet. Hoc enim quum veteres magistri, ut vidimus supra, posuissent in eo, ut perfecto significaretur res modo, plusquamperfecto res pridem perfecta Iul. Caes. Scaliger contra (de caus. ling. Lat. lib. V. c. 113.) non, inquit, ut aiunt, Perfectum et Transperfectum distant inter se temporis longinquitate, *) sed perfecto, paullo ante ait, simpliciter rem indi-

4 *

*) Adduntur a Scaligero haec: „Dicam enim, Risi iam quinquaginta tribus annis, et dicam, Lege-ram verum heri, antequam biberem.“ At haec quidem exempla non sunt ita comparata, ut magistrorum illorum praeceptum iis convelli possit. Qui enim quinquaginta per annos se iam risisse fatetur, is ridendi, si non finem, at terminum tamen quendam statuit praesens momentum; qui autem heri, inquit, legeram verum, is legendi terminum ponit in praeterito tempore. Atqui cuius rei perfectio incidit in praesens momentum, eam magistri illi dicebant modo, cuius in praeteritum tempus, eam iam pridem perfectam. Erat igitur potius ita dicendum: Risi iam quinquaginta tribus abhinc annis. Tum enim perfectio utroque tempore expressa in praeteritum cadit, et perfecti quidem in longinquius etiam praeteritum quam plusquamperfecti. Cautius igitur in hac re duobus saeculis post versatus est Reizius, qui in dissertatione de temp. et modis p. 8. eodem nomine reprehendens grammaticos „Falso, inquit, tribuit et Priscianus et

cari absolutam, plusquamperfecto absolutam ante aliam rem“ eodemque modo utrumque tempus definitum est post eum ab Emmanuele Alvaro, Thoma Bangio, Gerardo Vossio, aliis. Et id quidem optime perspexerat Scaliger, perfectioni, quae perfecto tempore exprimitur, nullum certum neque in ipso praesenti momento neque in eius propinquitate, constitui oportere terminum, sed libere eam per totum temporis praeteriti spatium vagari posse. Neque satis profecto mirari possis, grammaticos tam diu tamque contumaciter quasi adversus Latinorum non minus quam Graecorum loquendi usum praeceptum suum de actione modo perfecta potuisse statuere. Etenim ut Homerus iam facit Argivos perfecto tempore laudantes pristina facta Ulyssis (Il. β. 272.) ὦ πόποι· ἦ δὴ μυρὶ Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν hisque id, quod modo ab eo perfectum erat, opponit alio tempore νῦν δὲ τόδε μέγ' ἄριστον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν, utque Herodotus (I. 8.) πάλαι, inquit, τὰ καλὰ ἀνθρώποισι ἐξηύρηται et saepissime πρότερον δεδήλωται et similia, ita nullus ex iis, qui post illos scripserunt Graeco sermone, dubitavit aut omnino perfectum tempus de rebus usurpare iam pridem confectis, aut adverbium quoque ei apponere πάλαι seu πρότερον seu simile aliquod. Idemque fecerunt Latini, ut Cic. ad Att. XII. 23. „Occidimus, occidimus iam pridem, Attice, nos quidem.“ Neque ulla profecto idonea poterit causa afferri, quae commovere potuerit Graecos, ut,

maxima pars Grammaticorum etiam Graecorum, ut Michael Syncellus Hierosolymitanus (περὶ συντάξεως γραμματικῆς Venet. 1745. p. 170.) falso, inquam, tribuunt, parakimeno significationem tantum rei modo perfectae, hypersyntelico rei dudum perfectae. Nam parakimenus potest etiam rem dudum perfectam significare, hypersyntelicus etiam rem modo perfectam. Nam et instante tempore potest, et praeterito tempore poterat aliquid et modo et pridem factum esse. Itaque Demosthenes Orat. IV. in Philippum (p. 126. ed. Bas. per Ioh. Hervag. 1547.) Οὐ μόνον ἤδη πάριστιν, ἀλλὰ καὶ πάλαι παρελήλυθε. Lucianus autem initio Somnii, Ἄρτι μὲν ἐπεπαύμην εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶν, etc.“ Quamquam in hac quoque reprehensione aliquid tamen inest, quod non tangit reprehendendos. Etenim hi quidem, quum perfecto dicunt actionem indicari, quae sit modo (ἄρτι) completa, necessario simul ei adiici posse adverbium πάλαι negare debent. Hoc enim adverbium quum solum praeteritum spectet, nullo modo cadere potest in rem peractam praesenti momento. Idem autem, quum plusquamperfecto contendunt rem pridem seu πάλαι completam indicari, non item continuo sequitur, ut negare etiam debeant, huic tempori adiici posse ἄρτι adverbium. Hoc enim quum proprie quidem spectet praesens tempus, sed transferri etiam possit ad praeteritum, grammatici illi negantes, rem plusquamperfecto expressam dici posse modo i. e. nunc modo perfectam esse, handquaquam simul negant, eam dici posse praeterito tempore modo perfectam fuisse. Id quod luculentissime videre licet ex Maximo Planude, qui ὑπερσυντελικός, inquit, ἐστίν, ὅταν περὶ χρόνου παρελήλυθός τις ἄρτι κατ' ἐκεῖνον ποιῶν ἐπεπαύμην, λέγω, neque tamen paullo ante dubitavit usitato more definire perfectum ita: παρακείμενός ἐστιν, ὅταν περὶ τοῦ ἄρτι παρελήλυθός τις χρόνου λέγω, τί πεποίηκα κατ' αὐτόν. Igitur alterum exemplum a Reizio allatum ἄρτι μὲν ἐπεπαύμην nihil habet, quocum illud grammaticorum praeceptum non constare possit.

ad rem modo perfectam indicandam, singulari aliqua temporis forma locupletaverint verbum suum.

Ut autem Scaliger totum praeteritum tempus aperuerat rursus perfecto, ita praesens simul omnino ei putabat occludendum esse. Reprehendens enim ille grammaticos Graecos, qui παραχέλευον vocitarint perfectum „quod abiit, inquit, non est: at παραχέλευος species est τοῦ παρωχικότος: quonam igitur modo, si non est, potest παραχέισθαι?“ et paullo post, actionis, ait, absolutae, quae perfecto indicetur, partem superesse nullam. Igitur, quod tempus Stoici nominandum censuerant praesens, quod posterioris aetatis grammatici proxime certe volebant ad praesens accedere, id a Scaligero videmus prorsus seiunctum atque abscissum ab eo neque in alio loco, atque reliqua tempora praeterita, habitum esse. At enim hoc ipsum idcirco, ut in vera sua luce perfecti natura collocaretur aliquando, necessarium erat. Priorum enim grammaticorum definitiones παραχέισθαι, ἄρτι et quae eiusmodi inveniuntur praeterea, tam incertae tamque omnis verae rationis expertes sunt, ut ex iis quidem huius temporis vis nullo modo potuerit a quocumque intelligi. Iam vero semotis Scaligeri sagacitate his vagis eorum inutilibusque definitionibus perfectum docebatur ad nullum aliud pertinere quam ad praeteritum tempus. Atqui quum in Latina et multo magis etiam in Graeca lingua et forma perfecti et usus manifestissime eius cum praesenti tempore testarentur necessitudinem, fieri non potuit, quin post Scaligerum existerent alii, qui et repeterent perfectum praesenti et repetitum simul studerent aliter, atque adhuc erat factum, tribuere illi. Exstitit autem primus eorum ex eadem gente, ex qua iam semel prodierat vir, qui extinctam verioris doctrinae temporum lucem excitaverat. Etenim Samuel Clarkius Britannus initio saeculi octavi non veritus est, ad his iam spretam Stoico-Varronianam rationem reverti, ita tamen, ut non, Grocini instar, habuerit satis, memoriam tantum renovare eorum, quae a Stoicis et Varrone excogitata fuerant, nomen, sed ut vim quoque et potestatem eorum tum comparatione instituta cum recentioribus linguis tum, quocumque potuit alio modo, illustrare conatus sit. Fecit id in hac ad Il. α. 37. annotatione, quam Fr. Aug. Wolfius (praelectt. de stud. antiquit. ed. Guertl. I. p. 97.) non dubitavit appellare omnium, quae in Homerum ab eo conscriptae sint, optimam: „ἀμφιβέβηκας. Tempus hoc non est, ut vulgo vocant grammatici, praeteritum perfectum, sed praesens perfectum: qui tueris, qui circumstas, qui circumdatus es. Quod ut clarius et distinctius intelligatur, notandum est, Tempus esse omne divisum in partes tres, praeteritum, praesens et futurum. Quorum unumquodque porro dupliciter intelligi potest pro eo, ut de re perfecta sermo sit, aut de imperfecta. Itaque Tempora in omni verbo primaria et διωρισμένα sunt sex. Exempli causa

<i>Temp. praet.</i>	<i>rei imperf.</i>	{	abibat. He was going. Il s'en alloit.
		{	coenabat. He was at supper. Il étoit à souper.
		{	aedificabatur. It was in building. On bâtissoit.
	<i>rei perf.</i>	{	abierat. He was gone. Il s'en étoit allé.
		{	coenaverat. He had supped. Il avoit soupé.
		{	aedificatum erat. It was built. On avoit bâti.

<i>Temp. praes.</i>	<i>rei imperf.</i>	{	abit. He is going. Il s'en va.
		{	coenat. He is at supper. Il est à souper.
		{	aedificatur. It is building. On bâtit.
	<i>rei perf.</i>	{	abiit. He is gone. Il s'en est allé.
		{	coenavit. He has supped. Il a soupé.
		{	aedificatum est. It is built. On a bâti.

<i>Temp. fut.</i>	<i>rei imperf.</i>	{	abibit. He will be going. Il s'en ira.
		{	coenabit. He will be at supper. Il sera à souper.
		{	aedificabitur. It will be in building. On bâtitira.
	<i>rei perf.</i>	{	abierit. He will be gone. Il s'en sera allé.
		{	coenaverit. He will have supped. Il aura soupé.
		{	aedificatum erit. It will be built. On aura bâti.

Sequuntur deinde complures annotationes, quibus, quod tabella hac significatum est, exponitur copiosius. Earum prima haec est: „Vocabula ista: aedificatum est, coenavit, abiit, periit, ἀμυβέβηκε et similia tam Praesens exhibere tempus rei perfectae, quam illa: aedificatur, coenat, perit, abit, ἀμυβάλει et similia Praesens exhibent tempus rei imperfectae.“ Ne tamen Clarkium credas in contrariam atque Scaligerum partem peccando perfectum tempus, quod hic ab omni praesentis societate disiunxerat, radicitus contra e praeterito tempore voluisse evellere, audi eum paullo postea loquentem hoc modo: „Quoniam tempus illud praesens perfectum (occisus est, constitutum est, et similia) semper vim aliquam necessario habet mutuam ex praeterito, ut adeo quid iam factum sit, necessario indicet id, quod fiebat, utique iam esse praeteritum; et quicquid unquam factum fuerit, exinde necessario efficiatur, ut illud iam sit utique factum: Ideo perinde est, sive de eo, qui hoc ipso temporis momento interierit, sive de eo, qui ante mille annos perierit „interfectus est“ dicas.“ Quorum verborum sententiam, etsi dissoluto quodam orationis genere impeditam, non difficile tamen intelligitur hanc esse: „perfecto tempore indicari rem, quae, quum praeterito iam tempore sit perfecta, praesenti tamen momento cogitetur etiam exstans. Et haec qui-

quidem unice vera est perfecti temporis notio. Qui enim, ut Herodotus, *πάλαι τι ἐξηύρηται* dicit, is actionem quidem inveniendi iam dudum esse perfectam, ipsum autem inventum etiam nunc exstare significat. *)

*) Causa autem, cur res, etsi iam pridem peracta, referri tamen possit ad praesens momentum, haudquaquam, ut nuper Ramshornio est visum (Gr. Lat. ed. II. p. 588.), quaerenda in eo est, quod praesens tempus, ut in futurum, ita in praeteritum etiam, quousque sit libitum nobis, produci possit. Qui enim, ut Hermes apud Homerum (II. ω, 391.), dicit: *τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχῃ ἐνὶ κυδανείῃ Ὀφθαλμοῖσιν ὅπωπα*, is non significat, se ab illis inde temporibus, quibus viderit Hectorem, fuisse videntem eum, sed omnino se esse aliquem, qui saepissime eum in proeliis olim conspexerit. Nimirum causa, cur ita dici possit, in sola ea cogitandi libertate videtur posita esse, qua homo et futuram et praeteritam rem, quamvis longissime a sese remotam, ad id tamen, quo vivit momentum, referre potest.

DOCTRINAE TEMPORUM
VERBI GRAECI ET LATINI

EXPOSITIO HISTORICA.

PARTICULA TERTIA.

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHMIDT

PHILOS. DOCT. SCHOL. ~~LIBRARIUS~~

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.

MDCCCXXXIX.

Decurso eo, quod adhuc persequuti sumus, doctrinae temporum spatio a calce iam nobis redeundum paene ad carceres est. Priusquam enim Stoicorum ratio eo, quem exposuimus, modo a Varrone praecipue et Harrisio amplificata esset, nova aliqua, quae includi in eam non poterat, temporis forma reperta et aoristi nomine nuncupata erat. Cuius quidem temporis vis et significatio quo subtilius a primis linguae auctoribus excogitata est, eo plus difficultatis creavit investigatoribus eius. Consulto igitur adhuc intactam reliquimus eius historiam, ut et uno tenore possemus et dilucidius eam nunc persequi.

Detectum hoc tempus videtur ab Alexandrinis fuisse; nomen certe aoristi in iis, quae ad nos pervenerunt litterarum Graecarum monumentis primum apparet in Dionysii Thracis grammatica. Quod autem ad vim et significationem attinet, in eo quidem consentiunt omnes fere, aoristo indicari indefinitum tempus, at qualis sit haec indefinita vis, de ea re admodum variae sunt et discrepantes eorum sententiae. Et omnium primus quidem Apollonius Dyscolus *) definivit eam

*) Loquutus quidem iam Aristoteles est de tempore *ὁρισμένῳ* et *ἀπείρῳ*, at longe aliam ille, atque grammaticorum ratio postulat, sub has voces vult notionem subiectam esse. Postquam enim (de auscult. natur. lib. IV. c. 19.) adverbio *νῦν* dixit simul et terminum et copulam praeteriti et futuri temporis significari ἄλλο δὲ, inquit, ὅταν ὁ χρόνος ὁ τοῦτον (i. e. τοῦ νῦν) ἔγγυς ᾖ· ἢ ξεῖ νῦν, ὅτι τήμερον ἦξει· ἢ κε νῦν, ὅτι ἤλθε τήμερον. τὰ δ' ἐν Ἰλίου γέγονεν οὐ νῦν οὐδὲ ὁ κατακλισμός (intellige Δευκαλίωνος) γέγονε νῦν καίτοι συνεχὲς χρόνος εἰς αὐτὰ, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔγγυς (intell. idcirco non dicuntur illa νῦν facta esse) et §. 16. Τὸ δὲ ποτὲ χρόνος ὁρισμένος πρὸς τὸ πρότερον (recte du Vallius addendum censet καὶ τὸ ὕστερον) νῦν οἶον ποτὲ ἐλήφθη ἢ Τροία· καὶ ποτὲ ἔσται κατακλισμός. δεῖ γὰρ πεπεράνθαι πρὸς τὸ νῦν. ἔσται γὰρ ποσὸς τις ἀπὸ τοῦδε χρόνος εἰς ἐκείνο καὶ ἦν εἰς τὸ παρελθόν. Quibus quidem verbis facile quis in eam adduci opinionem possit, ut Aristotelem existimet priore paragrapho perfecti, posteriore aoristi et imperfecti vim significare voluisse; at neque *συνεχὲς χρόνος* apud eum significat eam temporis perfecti vim, qua res eo expressa refertur ad praesens tempus, sed naturam temporis universam, quam in omnium constat momentorum quadam continuitate cerni, neque *ὁρισμένον* seu *πεπερασμένον* tempus intelligendum est id, quod grammatici nunc appellare solent definitum tempus, sed opponitur illud ut aliqua pars temporis *χρόνῳ ἀπείρῳ* (lib. IV. c. 1.) i. e. universo nec ullis finibus circumscripto tempori.

ita, ut aoristum dicat tempus esse perfectum, a vero autem perfecto et a plusquamperfecto differre hoc modo, ut perfecto designetur tempus modo, plusquamperfecto tempus pridem perfectum, aoristo autem prorsus incertum et indefinitum relinquatur, utrum modo id an pridem perfectum sit, quapropter modo illud adiectum ei vim tribuat perfecti, pridem vim plusquamperfecti. Leguntur enim apud eum (de adv. p. 534.) haec verba οἷόν τε μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ τοῦτο γάναι, πάλαι ἐγεγράφειν, πάλαι ἠρίσθηκιν, οὐ μὴν ἔτι ἐπὶ τοῦ παρακειμένου, ἐπεὶ τὸ ἔμα νοήματι ἠνυσμένον δι' αὐτοῦ νοεῖται, τὸ δὲ πάλαι ἠνυσμένης πράξεώς ἐστι παραστατικόν· ὁ γοῦν καλούμενος ἀόριστος προσλαβὼν τὸ πάλαι ὑπερσυντελικὸς μᾶλλον ἀκούεται· ἐμπεριέχει γὰρ τὸ παρωχημένον τοῦ παρακειμένου καὶ τοῦ ὑπερσυντελικοῦ, ὥς γε καὶ ἐπὶ ὀνόματος ἐστὶν ἐπινοῆσαι κοινότητα ἀρσενικοῦ καὶ θηλυκοῦ· ἐνθεν καὶ τῆς ὀνομασίας ἔτυχε, κατὰ ἀπόφασιν εἰρημένος τοῦ μὴ ὀρίζειν τὸν παρωχημένον, διὸ καὶ κατὰ ἀπόφασιν τῶν προειρημένων δύο, χρονῶν ἐθεματίσθη. Retinuerunt hanc definitionem ex veteribus Stephanus *) Choeroboscus **), Priscianus ***), ex recentioribus Urbanus Bellunensis †), Philippus Melanchthon ††), Silvestre de

*) Bekk. Anecd. II. p. 891. ὁ δὲ ἀόριστος κατὰ τὴν ἀοριστίαν τῷ μέλλοντι συγγενής· ὡς γὰρ τοῦ ποιήσω τὸ ποσὸν τοῦ μέλλοντος ἀόριστον, οὕτω τοῦ ἐποίησα τὸ τοῦ παρωχημένου. τοῦ ἄρτι τοίνυν τῷ ἀορίστῳ δεδομένον γίνεται παρακειμένος, οἷον ἐποίησα ἄρτι — πεποίηκα, τοῦ δὲ πάλαι προσνεμομένου ὁ ὑπερσυντελικὸς γίνεται, οἷον ἐποίησα πάλαι — ἐπεποίηκιν. Cf. verba incerti grammatici ib. p. 889.

**) Ibid. III. p. 1281. Ἐὰν τὰ παρελθόντα ἄδηλα ὥς ποτε παρελθόν, ἀποτελεῖ τὸν λεγόμενον ἀόριστον, οἷον ἔτυπα· ἄδηλον γὰρ εἴτε νεωστὶ εἴτε πρὸ πολλοῦ· διὰ τοῦτο καὶ ἀόριστος λέγεται. ἰστίον δὲ ὅτι ὁ ἀόριστος, εἰ μὲν προσλάβῃ τὸ ἄρτι, ἰσοδυναμεῖ τῷ παρακειμένῳ, εἰ μὲν δὲ προσλάβῃ τὸ πάλαι ἰσοδυναμεῖ τῷ ὑπερσυντελικῷ.

***) Ed. Krehl. I. p. 399. Aoristus apud Graecos tam modo perfectam rem quam multo ante significare potest; ib. p. 429. ἀόριστος h. e. praeteritum infinitum spatium temporis, utrum paullo ante an multo sit perfectum.

†) Institt. ling. Gr. Si praeterita incerta sint, quando praeterierint, perficiunt ἀόριστον; incertum est enim, utrum paullo ante an multo ante praeterierint et propter hoc ἀόριστον i. e. indefinitum dicitur et indeterminatum. Sciendum ἀόριστον, si assumpserit ἄρτι tantum valere quantum παρακειμένος, si autem πάλαι parem esse praeterito plusquamperfecto.

††) Graec. grammat. (Ed. Secer. 1521. Camer. 1558) Ἀόριστος a παρακειμένῳ differt, quod παρακειμένος praeteriisse rem primum iam (erst eben) indicat, ἀόριστος praeteriisse quidem rem sed indefinite, num olim an modo praeterierit, ut quum dico πέπτωκα indico primum me iam cecidisce, quum vero ἔπεσον dico cecidisce me dico sed ambiguus est quicum loquor, olimne an nuper ceciderim. Quae duplicis praeteriti ratio vel hoc probatur mihi, quod actus alios paracimeno, alios aoristo significantius exprimimus. Tunc malebas paracimeno expressum hoc Homeri: τοῦνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἐκηβόλος ἢ ὅτ' ἔτι δώσει? Convenit ἔδωκεν indefinitum esse, quia et olim et nuper Graecos Apollo afflixit. Nil addebat definita temporis ratio et huic sententiae οὐ δὲ σὺ μεγαλήτορι θυμῷ εἶξας At referebat temporis modus

Sacy *). Niti eam patet definitione perfecti et plusquamperfecti veteribus magistris probata. Huius autem auctoritas quum a Scaligero, ut demonstravimus, ita labefactata esset, ut vix quisquam post eum notionem modo et dudum praeteriti temporis tribueret propriam illis, fieri non potuit, quin aliter ex eo aoristi etiam vim definire conarentur grammatici. Et primum quidem id factum videtur in Cle-nardi institutionibus grammaticae Graecae, ubi annotatio, nisi opinio me fallit, Henrici Stephani exstat haecce: „Vulgo aoristum ita appellari aiunt, quia non liqueat, paullone an multo ante praeterierit. Sed hic usus aoristi vix unquam a scriptoribus observatur. Verius igitur sic dicitur, quia nunc pro perfecto nunc pro plusquamperfecto, quandoque etiam pro imperfecto ponatur.“ Ergo quum antea grammatici indefinitam aoristi vim in eo posuissent, ut ubique eo incerta aliqua temporis praeteriti pars significaretur, ille, quicumque est, in singulis dicebat locis certum eo et definitum aliquod tempus praeteritum at aliud significari in aliis. Quae quidem definiendi ratio tam probabilis videbatur iis, qui sequebantur, grammaticis, ut, quum indicativum aoristi animadvertissent interdum de iis rebus dici, quae valerent in omnem aetatem, reliquas autem eius formas saepe et de praesentibus videri et de futuris usurpari, non dubitarent contendere, promiscue eum non de quovis praeterito tantum sed de omni tempore dici eamque ipsam ob causam rectissime ἀόριστον seu indefinitum tempus appellatum esse. Primus hoc docuisse videtur Sylburgius, qui Stephani praeceptum modo commemoratum, aoristum nunc pro perfecto nunc pro plusquamperfecto interdum pro imperfecto poni, eodem loco ita corrigit: „imo non praeteriti tantum sed crebro etiam praesentis significationem habet, praesertim in infinitivo, interdum et futuri, maxime in imperativo et subiunctivo.“ Eodem modo post eum iudicaverunt Gretserus **),

hoc loco ἔξον δ' εἰν ἀγορᾷ τετυκότες, quum significaret poeta, novo malo iam labefactatos principum animos.

*) Gramm. univers. a Vatro conversa in patrium sermonem p. 150. et p. 171.

**) Institt. ling. Gr. „Aoristi respondent praeteritis Latinorum. Licet enim nonnulli tradant, incertam esse significationem, paullone ante res praeterierit an multo, id tamen vix observatur ab auctoribus, ut exemplis passim obviis ostendi potest. Probabilius est quod alii dicunt, haec tempora vocari aorista, seu indefinita, quod habeant significationem interdum quidem praeteritam, aliquando futuram, nonnunquam praesentem; praeteritam ut in exemplis allatis, praesentem praecipue in infinitivo, ut . . . Eandem rationem habet interdum aoristus in indicativo. Isocr. ad Demon. κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνάλωσεν ἢ νόσος ἐμάρανε. In imperativo et subiunctivo saepe subit aoristus vicem futuri, τύπον verberato tu vel verberabis εἰάν τύπω si verberavero, quamvis frequenter eiusdem prorsus significationis sit cum praesenti.

Ursinus *), **Perizonius **)**. At linguae parens et moderatrix est ratio, a ratione autem nihil patet, in quo desideretur ratio produci posse. Quae vero, quaeso, ratio foret in ea verbi forma, quae nullo alio consilio nisi ut vice fungeretur aliarum formarum excogitata esset? Imo vero haec in singulis verborum formis dominatur lex et regula, ut sua cuique eaque tam certa et propria sit notio, ut etiamsi illae interdum inter sese videantur commutatae esse, haec integra tamen et illibata semper maneat. Ex eiusmodi igitur peculiari aoristi vi promiscuus eius usus explicari neque hic usus contra pro vi ipsa eius haberi debebat ***).

Atqui tantum ex iis, quae adhuc disputata sunt, videtur perspicuum esse, ea quidem via, qua Apollonius eiusque et imitatores et emendatores aoristi vim investigare studuerant, non potuisse ad eum, quo contendeatur, finem perveniri. Quum enim singulorum cancelli temporum ita ab illis aoristo aperti essent, ut summa cum licentia hic per omnia impune vagari posset, nulli profecto ipsius temporis fines, quos infinita illius vis potuisset egredi, iam amplius reliqui erant. Alia igitur via tentanda et revera iam dudum a duobus ipsius Graecae nationis grammaticis Theodosio Alexandrino et Maximo Planude tentata erat. Horum enim ille in libello *περὶ γραμματικῆς* a Goettlingo edito p. 145. postquam tempore perfecto

*) Institt. ling. Lat. (Ratisp. 1701) p. 540. Grammat. Gr. (Norimb. 1691 et 1714) p. 167.

ᾠριστον tempus nullam tempus certum determinate connotat sed indefinite includit et comprehendit actu omnia cum illiminatae cuiusdam continuitatis significatione. Inde factum est, ut ad quaevis tempora significanda sit adhibitum et a Latinis omnium temporum verbis redditum vel per solere, consuesse et ab ipsis quoque Graecis nunc praesenti nunc futuro variatum. Subsequens tamen dicendi consuetudo verba huius temporis in indicativo et participio ad praeteriti consignificationem saepius restrinxit. In caeteris modis indefinite cuivis tempori significando inserviunt. Multis tamen in locis apud vetustiores praesertim nativam et propriam vim suam etiam in indicativo sed verbi fere activi aut deponentis retinent.

**) In annott. ad Aeliani var. hist. (a. 1701) lib. I. cap. 4. Forma haec idcirco dicitur *ᾠριστες*, quia nullum certum vel ubique idem tempus sed modo praeteritum modo praesens vel id quod fieri solet denotat atque idcirco etiam passim in narrationibus rerum promiscue videas a Graecis adhibitam praesentis et aoristi formam.

***) Hermannus de emend. rat. Gr. gr. p. 189. etsi recte eorum errorem, qui aoristum de quovis tempore adhiberi contendunt, redarguit, illud tamen minus recte contra eos monere videtur „in Graeco quidem verbo ad significationem cuiusque temporis propriam indicativum tantum adhiberi posse, quum reliquorum modorum admodum varia et multiplex sit significatio.“ Propria enim cuiusque temporis vis non pendet ex primaria universi temporis divisione in praesens, praeteritum et futurum sed ex ratione, quae inter singula haec tempora et actionem verbo expressam intercedit. Hanc autem in illis, quae adhuc tractavimus, temporibus non minus cerni in reliquis modis quam in indicativo quis est quin intelligat? In aoristo autem, si vera eius significatio perspecta est, rem se habere eodem modo ex iis apparebit, quae disputabuntur postea.

dixit actionem significari modo absolutam ita pergit: ὅταν δὲ μετὰ τὸ τελειῶσαι μετὴν ἐνέργειαν διέλθῃ καιρὸς, εἰ μὲν ὠρισμένος εἴῃ, ὁ τοιοῦτος χρόνος ὑπερσυντελικὸς ὀνομάζεται, ἐὰν δὲ ἄγνωστόν ἐστι καὶ ἀόριστον ὁπότε τῆς ἐνεργείας ἐπαυσάμην, ὁ τοιοῦτος χρόνος ἀόριστος ὀνομάσσεται, ὅσον τὸ ἔτυπα καὶ τὸ ἔγραψα· ἀόριστον γάρ ἐστι πότε ἐπαυσάμην τοῦ γράφειν καὶ τύπτειν *). Ecce definitionem aoristi iis, quas adhuc cognovimus, prorsus disparem. Ex incertis enim quasi erroribus, in eisdem eum, quibus reliqua tempora contineri solent, fines redactum habes. Etenim non iam ei, ut placet Sylburgio, exspatiari licet in praesens et futurum tempus, non ut videtur Stephano, ex praeteritis temporibus induere etiam potestatem imperfecti, non denique, ut Apollonius censet, indicare simul et modo et pridem perfectum tempus, sed solius pridem perfecti significatio in eum cadere dicitur. Atqui pridem perfectum tempus si intelligamus de actione simpliciter praeterita, modo autem perfectum de ea quae ex praeterito etiam pertinet ad praesens tempus Theodosium videmus omnium primum statuisset, aoristum non minus quam plusquamperfectum esse tempus perfectum omnis cum praesenti communionis expers vereque praeteritum. Quodsi quaerimus, quam in re indefinita illa vis, qua aoristus dicatur differre a plusquamperfecto, posita sit, significatam quidem eam apud eundem habemus Theodosium docentem non quando fuerit aliqua res sed quando esse desierit aoristo incertum relinqui, plene autem et accurate expositam apud alterum, quem commemoravi grammaticum M. Planudem (Bachm. Anecd. Gr. vol. II. p. 7.) qui absoluta definitione praesentis, imperfecti et perfecti ὑπερσυντελικός, inquit, ἐστὶν ὅταν περὶ χρόνου παρεληλυθότος, τί ἄρτι κατ' ἐκεῖνον ποιῶν ἐπεπαύμην, λέγω· ὡς ὅταν ἐρωτηθεῖς, τί χθὲς ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου ποιῶν ἐπεπαύμην, εἶπω, ἐγεγράφειν. Ἀόριστος δὲ ἐστὶν ὁ πάλαι παυσάμενος καὶ μηδένα ὄρον ἔχων ἥτοι δήλωσιν πηνίκα ἐγένετο. Finis igitur actionis plusquamperfecto expressae incidere dicitur in aliam actionem praeteritam, qua definiatur et terminetur illa, aoristi autem actio quum careat eiusmodi termino indefinita atque incerta esse.

*) Possint quidem eodem fere modo iam Moschopolus et Theodorus Gaza videri aoristum definiisse, sed ut supra iam monui brevior est eorum oratio, quam ex qua quid vere de illo iudicaverint, cerni possit. Ille in erotematis Τ', inquit, ἐστὶ παρακείμενος; ὁ τὴν ἐνέργειαν ἢ τὸ πάθος ἔχων παρακείμενα τῷ ἐνεστῶτι. Τί ἐστὶν ὑπερσυντελικός; παρακείμενος πεπληρωμένος. Τί ἐστὶν ἀόριστος; ὁ ἐπὶ τοῦ παρεληλυθότος μὲν λεγόμενος καὶ πεπληρωμένην σημασίαν ἔχων, μὴ ἔχων δὲ ὠρισμένον καιρὸν τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ ἢ τοῦ πάθους. Cf. idem apud Ritschel. Παρακείμενος ὁ ἐν αὐτῷ τὸ ἄρτιον ἔχων. Ὑπερσυντελικὸς ὁ ἀπὸ πολλοῦ πληρωθεὶς. Ἀόριστος ὁ μὴ ἐμφαίνων τὸν ἑαυτοῦ καιρὸν ὡς ὠρισμένον. Theodorus autem: ὁ δὲ ἀόριστος τὸ παρεληλυθός μὲν καὶ τέλειον, οὐκ ὠρισμένον δὲ τὰ περὶ τὴν ἐνέργειαν ἢ τὸ πάθος, ὁ δὲ παρακείμενος τὸ παρεληλυθός ἄρτι καὶ τὸ ἐντελὲς τοῦ ἐνεστῶτος, ὁ δὲ ὑπερσυντελικὸς τὸ παρεληλυθός πάλαι καὶ ἐντελὲς τοῦ παρακειμένου.

Haec vero nova aoristi definitio etsi universae temporum rationi manifesto reliquis accommodatior erat, a Graecis tamen, qui sequebantur, grammaticis prorsus neglecta fuit, Latini autem, in quorum perfecto Prisciano teste (ed. Krehl. vol. I. p. 429.) primus docuerat Probus aoristi simul et veri perfecti vim positam esse, non dubitaverunt, quod Theodosius et Planudes docuerant de aoristi et plusquamperfecti discrimine, transferre in perfectum et plusquamperfectum suum, qua in re praeivisse reliquis videtur Cornelius Valerius Ultraiectinus, qui libro primo institutionum grammaticarum (Antverp. 1567.) p. 162. „praeteritum imperfectum, inquit, quo rem coeptam quidem significamus sed nondum fuisse peractam eo tempore, de quo loquimur, praeteritum perfectum, quo res acta et completa notatur, praeteritum plusquamperfectum, quo significamus rem perfectam ante aliam actam, ut: Commodum discesseras heri quum Trebatius venit. Cic. Hoc relativum praeteritum dici possit, quod semper ad aliquod aliud tempus referatur, ut et imperfectum *).“ In margine adscriptum praeterea est hoc exemplum: „Veni ad te hora septima: tunc e lecto surgebas et pater domum redierat.“ Hic igitur primum in relativi temporis nomen, cui postea opponi solebat absolutum tempus **), incidimus, quae quidem notio notionisque appellatio adeo iam in temporum doctrina regnare coepit, ut, quicumque hanc postea explicare aggressi sunt, omnes illius tantum ope id fieri recte posse existimaverint. Etenim post Valerium Marius Corradus (de ling. Lat. ad Marc. fratrem Bonon. 1575.) in eandem sententiam loquutus ita est: „Praeteriti actiones aut imperfectae sunt, ut legebas quum ego veni, aut absolutae, ut legisti oratorem, aut quae absolutae sunt, alias antecesserunt actiones, ut scripseras antequam inaudires. Deinde Franc. Sanctius in Minerva (ed. Periz. p. 95.) „amabam, inquit, et amaveram quis non videt esse imperfecta tempora? Nam si dicas: Cicero scribebat carmina et Cicero scripserat, suspensum habes auditoris animum, donec verbum aliud adiungas, quo sensus absolvatur.“ Tum Thomas Bangius (Obs. phill. lib. I. p. 471.) exposita significatione imperfecti et perfecti ita pergit: „sunt praeterea nonnulla (h. e. nonnullae res seu actiones) iam quidem absoluta et perfecta, non simpliciter tamen sed respectu praeteriti perfecti aut imperfecti, quae etiam suo tempore indigebant, quod plusquamperfectum seu ulterius perfectum vocatur, ut iam scripseram quum tu scripsisti. Hoc praeteritum ab Ultraiectino dicitur relativum, quod semper ad aliquod aliud tempus referatur ut et imperfectum.“

*) De imperfecto quoque iam idem docuerat Max. Planudes his verbis: Παρατατικός ἐστίν, ὅταν πρὶ παρεληλυθὸς χρόνου, τί κατ' ἐκείνον ὡς ἐνεστώτα ἐποιοῦν λέγω ὡς ὅταν ἐρωτηθεῖς, τί χθὲς ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου ἐποιοῦν, λέγω, ὅτι ἔγραψον.

**) Temporis absoluti nomen a nullo prius usurpatum invenio quam a Perizonio in Sanctii Minerva p. 91.

Haec tamen relationis notio quam nihil Latinis grammaticis visum fuerit commune habere cum definita indefinitaque significatione temporum intelligi praecipue inde potest, quod Ursinus quoque etsi aoristi vim, ut vidimus, in promiscuo eius usu pro quovis tempore ponit, de reliquis tamen temporibus praeteritis pariter atque Valerius iudicat *). Suo igitur tempore exorsus Reizius novam illam praeteritorum doctrinam temporum, ex cuius linguae finibus profecta erat, ad eam reduxit tandem pleniusque simul et enodatus exposuit. Quam enim vim superiores ex actionis perfectae temporibus uni tribuerant plusquamperfecto, eam perfecto quoque et futuro exacto vindicans haec omnia ille eadem causa qua Valerius ductus appellat tempora relativa iisque ut omnis ad aliud tempus relationis expers opponit tempus perfectum absolutum seu aoristum. Quae quidem sententia quum constantiae quadam laude sese commendat nobis via tamen et ratio, qua Reizius veritatem eius ostendere conatur plus uno nomine reprehendenda est. Etenim postquam temporum tabulam supra (Part. II. p. 2.) commemoratam ex Stoicorum et Varronis mente proposuit ita suam de ea sententiam explicare instituit: „Patet, inquit, hanc rationem esse plenam et absolutam neque praeter haec novem tempora ullum aliud, quod necessarium usum habeat, cogitari posse nisi verbi perfecti praeteritum infinitum.“ At non facile, credo, quisquam intelliget, unde pateat huius rei necessitas. Rationibus igitur aut ex actionis aut ex ipsius temporis natura petitis exspectamus illam demonstratum iri, quam tamen exspectationem adeo frustratus est Reizius, ut rationum loco attulerit exempla quaedam. Pergit enim disserere hoc modo: „Id enim praeteritum verbi perfecti quod superior illa continet ratio, aequae atque instans et futurum eiusdem verbi finitum est. Sicut enim horum alterum ad id quod nunc agitur, alterum ad id quod in posterum agetur, est referendum, sic etiam illud ad id quod posterius agebatur. Ideo quoties aut praeteritum, aut futurum verbi perfecti adhibetur, indicatur simul res ad quam referri debeant. Homerus Od. XII. 329. Ἄλλ' ὅτε δὴ νηὸς ἐξέφθιτο ἥϊα πάντα, καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον etc. Xen. Symp. IV, 7. Ἐὰν οὖν ἐνέγκῃ τις κρόμνον, αὐτίκα μῦλα τοῦτό γε ὠφέλημένοι ἔσονται· ἥδιον γὰρ πιεῖσθε.“ Diutius tum, ut par erat, versatur in illustranda natura duorum illorum temporum quorum notio in Latino sermone eadem verbi forma exprimitur, perfecti et aoristi. Et perfecto quidem tempori quum vi-

*) Institt. gr. Lat. Vol. I. p. 536., ubi ille postquam imperfecto et plusquamperfecto docuit semper aliud, quo absolvatur oratio, verbum postulari, ita pergit: „Hinc non solum plusquamperfectum ab Ultraiectino, referente Bangio, dici debuit relativum, quod semper ad aliud tempus referatur, quoniam imperfecto hoc cum eo commune est.“ At Valerium quoque de utroque tempore cogitasse et ex adiectis verbis „ut et imperfectum“ et ex apposito exemplo satis aperte intelligi potest.

deret saepe non aliud, quo referendum sit, tempus adiectum esse causam huius rei hinc putat repetendam esse: „Instans, inquit, verbi perfecti, quia refertur ad rem, quae nunc agitur aut agenda est, si non aut hanc narramus, aut alterum ad eam exhortamur, fit ut id tempus nulla adiecta re ad quam pertineat, usurpetur. „Theophrastus Char. IV. *Λιγέεται δὲ τούτους φάσκων λέγειν, ὡς Πολυσπέρχων καὶ ὁ βασιλεὺς μάχῃ νενίκηκε, καὶ Κάσανδρος ἐξώγρηται.* Hoc eventum refertur ad futuram civitatis mutationem, quam intelligi satis habens famigerator nihil addidit.“ Quorum verborum sententia videtur haec esse, perfecto idcirco non opus esse semper adiici eam rem ad quam referendum sit, quod hoc tempus semper pertineat ad praesentem aliquam rem, praesens autem res per se iam ab omnibus aut oculorum aut mentis acie cerni possit neque singulari igitur sui commemoratione indigeat. Hanc autem non posse veram omissae illius commemorationis causam esse perspicuum iam inde est, quod tum et multae res, quae de praesenti tempore dicuntur, non opus forent dici et multae contra, quae non dicuntur, necessario dicendae essent, ut in ipso illo loco ex Theophrasti characteribus allato, ubi Reizio quidem videtur de futura civitatis mutatione cogitandum esse, neque quidquam tamen obstat, quin de laetitia Polysperchontis propter reportatam victoriam, de fortuna quae maneat Casandrum, de multis aliis rebus cogites, quapropter si perfecta illa *νενίκηκε* et *ἐξώγρηται* ad certam aliquam aliam, quae aut ageretur aut agenda esset, rem referri oporteret, hanc necessario apparet addendam fuisse. Accedit, quod non facile intelligi potest, cur Reizius perfectum tempus ad rem tantum, quae aut agatur aut agenda neque ad eam etiam, quae iam acta sit, referri velit quum saepius tamen constet ex duobus perfectis alterum referendum ad alterum esse, ut Herodot. IV. 118. *Ὁ Πέρσης ἐπειδὴ οἱ τὰ ἐν τῇ ἡπείρῳ τῇ ἐτέρῃ πάντα κατέστραπται, γέφυραν ζεύξας ἐπὶ τῷ αὐχένι τοῦ Βοσπόρου διαβέβηκε ἐς τήνδε τὴν ἡπειρον.* Ut autem falsa, quam Reizius animo conceperat, relationis species in perfecto *), ita veritas eius in aoristo mirum in modum elusit atque fefellit eum. Postquam enim hanc dixit tempus esse praeteritum „quod rem absolutam infinite significet i. e. sine ulla rela-

*) Reizium ipsum sensisse, quam sua de perfecto opinio non confirmetur loquendi usu, manifesto apparet inde, quod in singulis explicandis scriptorum locis operose se versat huc illuc neque facilem tamen et probabilem explicatum invenire potest. Id quod praecipue videre licet in loco excitato e Platone quo Euthyphro inducitur ita loquens: *καὶ ἐμοῦ γὰρ τοι, ὅταν τι λέγω ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ περὶ τῶν θεῶν προλέγων αὐτοῖς τὰ μέλλοντα, καταγελῶσιν ὡς μαινομένον· καί τοι οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀληθὲς εἶρηκα ὧν προεῖπον· ἀλλ' ὅμως φθονοῦσιν ἡμῖν πᾶσι τοῖς τοιοῦτοισι,* quae verba ille illustrare conatur hoc modo: „Semper verum se dixisse ait Euthyphron, ut ostendat immerito se derideri. Derideri autem se in re praesenti necesse non habens narrare si tantum diceret, *καί τοι οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀληθὲς εἶρηκα ὧν προεῖπον,* id quorsum dixisset, intelligeretur.“

relatione ad aliam aliquam insequentem“ duplicem eius usum distinguit, unum quo res significata eo usque ad praesens tempus pertineat, alterum quo ab omni illa praesentis societate remota sit et priore quidem modo existimat perfecti loco aoristum usurpandum tum esse, quum nullam aut possimus aut velimus rationem habere eius rei, quae agatur praesenti tempore *). „Itaque, inquit, Imperatoris Titi memorabilem illam meritoque laudatam vocem, *Amici diem perdidī*, Graece sic apud Themistium (περὶ τῆς φιληκοῦσας τοῦ βασιλέως) legimus: *Τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα· οὐδένα γὰρ εὖ ἐποίησα*. Nam earum rerum, quas Titus vesperi ageret, nihil sane quidquam referebat, periisset dies nec ne.“ Imo referebat plurimum: iis enim ipsis rebus, quas acturus erat vesperi, resarcire quodam modo poterat damnum acceptum interdiu. „Apud Homerum, ille pergit, *Iliad. XI, 362*. *Diomedes Hectorem, quem ferierat, rursus irrudentem conspicatus, Ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κύν· ἦτέ τοι ἄγχι ἦλθ' ἐκακόν· νῦν αὖτέ σ' ἐρύσσειτο Φοῖβος Ἀπόλλων*. Quid enim hostem Diomedes, quem servatum indigne fert, sic alloquatur, ut qui ei salutem gratularetur?“ At nonne fugae turpitudine partam salutem exprobrare ei, nonne novum certamen novumque periculum minari poterat? Ergo non posse rem aoristo expressam referri ad aliam rem quae aut agatur nunc aut agenda sit, id nullo modo patet locis a Reizio allatis demonstratum esse.

Additur tertium ab eo exemplum unde intelligi vult, iis, qui aoristo usi sint, etiamsi non potestatem eiusmodi relationis, certe tamen defuisse voluntatem. „Achilles, inquit, de occiso Hectore Paeania canens, ibidem *XXII, 393*. *Ἡρώμεθα μέγα κῆδος ἐπέφρομεν*“ *Ἐκτορα δῖον* potuisset dicere, *ἦρωμεθα*, nam ob id ipsum, quod hanc tantam gloriam retulit, nunc triumphat: sed quia non erat necessaria triumpho cum victoria comparatio, simpliciter quam relate maluit dicere *ἦρώμεθα*.“ Audio et causam etiam cur ita maluerit loqui Achilles intelligo **), at non raro tamen ad potestatem referendi accessisse etiam voluntatem quum multis aliis exemplis probari possit, tum hoc quod ex ipsa illa Achillis oratione petitum est: *Ἐπειδὴ τόνδ' ἄνδρα θεοὶ δαμάσασθαι ἔδωκαν, εἰ δ' ἄγετ' ἀμφὶ πόλιν ξὺν τεύχεσι περὶ θῶμεν* ***). Quod Reizius autem de aoristis ad praesens tempus pertinentibus

*) Verba Reizii haec sunt: „Graeci etiam in re, quam ab eo temporis spatio quod nunc instat, non removerunt, si eius respectum ad id quod nunc agitur nullum aut possunt aut volunt exprimere, aoristum usurpant.“

**) Nimirum Achillis animus, quae est eius magnitudo atque excelsitas, in eo commemoratur ludentius quo victoriam peperit, quam in eo, quo parta iam fruitur, tempore.

***). Cf. *Jl. I, 96*. *Τούνεκ ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἐκηβόλος ἡδ' ἔτι δώσει*. *Ib. 207*. *Ἡλθ' ἐγὼ πάνσουσα τὸ σὸν μένος*. *Herod. 9, 48*. *νῦν ὦν ἐπειδὴ οὐκ ἔμεϊς ἤρξατε τούτου τοῦ λόγου, ἀλλ' ἡμεῖς ἄρχομεν*.

negavit, id constanti fere Graecorum loquendi usu victus de iis, qui rem a praesenti momento seiunctam significant, concessit, at concessit tantum ita, ut rem ita expressam neget ullo cum ea, ad quam referatur, notabili nexu devinctam esse, ut in his qui ab ipso excitati sunt, scriptorum locis: Demosth. de cor. §. 27. Ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη — ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιχειρισμὸν ἐξήτει. Ib. §. 7. Τοῦ γὰρ Φωκικοῦ συστάντος πολέμου — ὑμεῖς οὕτως διέκεισθε. Plut. Cic. (p. 1604. ed. Steph.) Οὐ γὰρ πρότερον ἀπέλυσαν ἢ ἔλαβον τὸ ἀργύριον. Qua tamen in re notabilis ille nexus positus sit id, etsi summi ad rem momenti est, frustra quaeris in disputatione Reizii neque post illum, qui huius loci obscuritatem illustraret inventus est quisquam praeter Dissenium. Is autem quum in hac re novo aliquo, quo aoristi doctrina ab Harrisio locupletata erat, invento uteretur, huius nobis, priusquam ad ipsam Dissenii rationem transeamus, necessario est mentio facienda.

Quum enim et Reizius et quicumque ante eum de temporibus disputarant, solius praeteriti docuissent proprium esse aoristi tempus, Harrisius contra probe intelligens, aut rationibus demonstrandum esse, in hoc tantum tempus cadere posse aoristi vim aut vindicandam eam praesenti quoque et futuro esse, quum non posset illud, faciendum statuit posterius. Et in futuro quidem vim indefinitam esse iam et veteres magistri plerique omnes et recentiorum nonnulli docuerant ante eum. Ita Apoll. Dysc. de synt. I. 35. Ἡ τοῦ μέλλοντος (intellige ὁριστικὴ ἐγκλισις) ἀοριστωδῶς νοεῖται, quapropter idem de Coniunct. p. 512. ut praeteritum aoristi accuratius distinguat a futuro τὸν ἀόριστον, inquit, τουτέστι τὸν παρωχημένον. Stephanus in Bekk. Anecdd. p. 891. Ὁ δὲ ἀόριστος κατὰ τὴν ἀοριστίαν τῷ μέλλοντι συγγενής· ὥς γὰρ τοῦ ποιήσω τὸ ποσὸν τοῦ μέλλοντος ἀόριστον, οὕτω τοῦ ἐποίησα τὸ τοῦ παρωχημένου. Alius Dionysii Thracis interpretes ibidem: Ὁμοίως καὶ ὁ ἀόριστος τῷ μέλλοντι (intell. συγγενής ἐστι), κατὰ μὲν φωνήν, ὅτι τοῦ αὐτοῦ συμφώνου χορηγίαν ἔχουσιν· ἐὰν γὰρ ἔχη ὁ μέλλων τὸ ψ, καὶ ὁ ἀόριστος· εἰ δὲ ξ, κάκεινος ὁμοίως, πάλιν κατὰ φυσικὸν λόγον, ὅτι ἀμφοτέροι ἀόριστοί εἰσι. καὶ γὰρ εἰ εἴποις ἔτυπα, οὐχ ὥρισω τὸν καιρόν, πλὴν ὅτι πέπραχας· καὶ πάλιν ἐὰν εἴπῃς τύψω, οὐδὲ οὕτως ἐσήμανας τὸν καιρόν, εἰ μὴ ὅτι μόνον τύψεις· τὸ δὲ πότε οὐ δηλοῖς. Moschopolus (Ritsch. Prolegg. ad Thomam M. p. CXXXII.) Διὰ τὴν ὁ ἀόριστος πρὸς μέλλοντα ἔχει συγγένειαν; ἐπειδὴ ἀδήλους ἔχουσι τοὺς χρόνους ἀμφοτέροι. Etym. M. p. 507, 50. Ὁ μὲν μέλλων ἀόριστός ἐστιν, ὁ δὲ μετ' ὀλίγον μέλλων ὥρισμένος. Priscianus (Vol. I. p. 389.) „Futurum quoque quum incertum sit et infinitum, utrum paullo post an multo erit, non potuit discretis quibusdam finibus declinationis uti.“ Urbanus (Institt. ling. Gr. p. 244.) Ἀόριστος autem habet cognationem cum futuro, quoniam utrumque significat infinitum sive indeterminatum et incertum.“ Girardus (Hebdom. Gr. ed. Paris. 1547. p. 37.) „Futurum eodem modo (quo aoristus) i. e.

sub ancipiti et incerto tempore rem significat futuram.“ Ut autem non futuri, ita ne praesentis quidem indefinitus usus omnino fugerat grammaticos. Ammonius certe in interpretatione Aristotelei libelli *περὶ ἑρμηνείας* extrema primi capitis verba quibus docetur, duplici modo ἀπλῶς ἢ κατὰ χρόνον verbi ope aliquid de subiecto enunciari posse, ita explicat: λέγω, ὅτι τὸ μὲν ἀπλῶς σημαίνει ἂν τὸ μὲν ἀορίστως ἀπλῶς οὕτως εἰπεῖν· τραγέλαφος (qua voce Aristoteles exempli instar usus erat), ἦν ἢ τραγέλαφος ἔστιν ἢ τραγέλαφος ἔσται, τὸ δὲ κατὰ χρόνον μετὰ προσθήκης τοῦ χρόνου καθ' ὃν ἦν ἢ ἔσται, οἷον τραγέλαφος ἦν χθὲς ἢ πέρυσιν, ἢ ἔσται αὔριον ἢ εἰς τὸ ἑξῆς ἔτος. Ex recentioribus Bangius in *Observv.* p. 471. „Notandum autem, inquit, de praesenti tempore, quod tempus praesens non solum accommodetur τῷ νῦν h. e. ad instans nunc, uti putatur, sed ad quamcunque rei de qua agitur praesentiam. Unde dicimus. . . . Aliud tempus alios mores postulat. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.“ Accuratus post eum Ursinus (*Institt. ling. Lat. vol. I. p. 534.*): „Praesens hic non praecise et rigide sensu Philosophico de unico momento et puncto temporis sed cum ampliacione quadam et mora usu vulgari saepius capiendum. Fit ergo, ut non raro tempus praeteritum et futurum comprehendat, vel cum continuatione quadam, ut in illo Ciceronis ad Atticum: cupio et iam pridem cupio Alexandriam visere . . . vel cum iteratione quadam actus, identidem et per intervalla ex consuetudine quadam repetiti, ut in illo Terent. *Adelph.* „mihi quidem non placent et clamo saepe. . . .“ Idem in *γνώμῃς*, quae quid ex more fiat aut ex usu vitae sit, ἀορίστως et indefinite notant, observare licet.“

Quum a singulis igitur singulorum temporum vis indefinita iam ante Harrisium animadversa esset, ab hoc tamen primo de universa re via et ordine disputatum totaque temporum divisio, inde ab invento aoristo manca et perturbata, tandem expleta rursus certamque ad rationem revocata est. Etenim tempora verbi ait aut definite usurpari aut indefinite. Definito usui tribuuntur novem illa, quorum mentio a nobis facta iam supra est (part. II. p. 1. et 2.), indefinito autem haec tria: Aoristus praesentis temporis. Γράφω. Scribo. I write. Aoristus praeteriti temporis. Ἐγραψα. Scripsi. I wrote. Aoristus futuri temporis. Γράψω. Scribam. I shall write. Ergo quum reliqui grammatici Stoicorum auctoritatem sequuti in capite divisionis posuissent actionis infectae et perfectae discrimen, ex ternis autem, quae singulis hic actionis generibus accidere possunt, temporibus aut praeterita tantum, ut Valerius, Sanctius, Bangius, Ursinus, aut perfecta, ut Reizius, in relativa rursus et absoluta divisissent, Harrisium contra ab hac ipsa relationis notione videmus profectum esse duobusque temporum generibus, relativis et absolutis seu definitis et indefinitis, constitutis singula relativorum tempora ostendisse rursus oportere tripartita, absoluta autem simplicia esse. Cuius divisionis vis quo melius intelligatur adiuncta ab Harrisio haec sunt: „Quod attinet aoristos, hi a gram-

ticis plerumque praeteritis temporibus annumerari solent, ut *ἔλαθον ἔπεσον*. Raro aoristi commemorantur futuri, rarius etiam praesentis temporis. Atqui rationi videtur consentaneum esse, ut, quacunque temporis forma simpliciter et sine ulla definitione aut praesens aliqua res aut praeterita aut futura designatur, ea appelletur aoristi nomine. Ita Milto in paradiso amisso

Millionen geistiger Geschöpfe besuchen (walk) die Erde,

Ohne dass wir sie sehen, sowohl wenn wir wachen als schlafen.

Verbo walk non indicatur, eos illo tantum momento, quo Adamus loquutus sit, sed *ἀόριστως* indefinite quocunque vis temporis momento. Quod idem valet de omnibus sententiis communibus, ut Ad poenitendum properat cito qui iudicat. Avarus nisi quum moritur nil recte facit. Omnia haec tempora patet aoristos praesentis temporis esse. Possunt autem posterioris generis sententiae futuri quoque aoristis efferri, ut Tu nihil admittes in te formidine poenae. Hor. Neque aliter in legum formulis *Thou shalt not . . .* quae interdicta non ad certam aliquam sed indefinite ad quamlibet partem futuri temporis pertinent.“

Haec igitur aoristi per tria tempora partitio quum ab omnibus fere, qui hunc locum tractaverunt post Harrisium, tum a Dissenio, ad quem nunc revertitur disputatio nostra, retenta est. Docet autem hic, notabilem illum, quem Reizius commemoraverat, temporum relativorum nexum cerni in ea re, ut res illis temporibus indicatae uno eodemque momento fieri cogitandae sint, nam ita demum vere et eas ipsas inter sese relatas esse et tempora, quibus indicetur haec relatio, relativa appellari posse *). Et universae quidem relationis hanc unice veram definitionem esse, ex ipsius relationis notione ostendere sibi ille videtur ita posse. „Quum nemo, inquit (p. 8.), non concedat relativum esse, quod non possit locum habere sine alio quodam simul cogitando, quis temporum relationem etiam ad id vere pertinere censeat, quod non sit una, quod vel praecedat vel sequatur? Quod enim poni nequit sine aliqua re, cohaeret cum ea; quatenam vero est haec cohaerentia, si fieri posse statuis, ut non sit commune unum temporis momentum ambobus?“ At ut exemplo hanc argumentationem redarguam. Dormire et vigilare constat notiones relativas esse. Quis autem dicet, dormire aliquem neque ante neque post vigilias posse sed simul necessario dormiendum et vigilandum esse? Scilicet lapsus Dissenius in eo est, quod rem existimavit una cum alia re cogitari non posse nisi ita ut una etiam cum ea aut esse revera aut fieri cogitetur. Et-

*) De temp. et modd. p. 6. quum ea vera relatio sit, si quid recte cogitari non possit, nisi cum alio quodam cogitatum, cum quo, si fiat, uno fiat eodemque tempore, quid dubitamus . . . p. 9. „Relativa tempora res non diverso sed eodem cum aliis momento collocant, quia alioquin nullus esset relationis nexus.“

enim mente quidem nos eodem tempore, quo ex duabus notionibus relativis accidere dicimus unam, complecti et fingere necesse est etiam alteram, fieri autem hanc revera aut esse simulac fit aut est illa, id adeo non ex relationis quidem notione consequens est, ut facilius etiam quis statuere contra possit *).

Iam vero ut ab universo relationis genere transeamus ad relationem temporum, hanc quidem ex ipsa origine temporum demonstrare conatur Dissenius talem esse, qualis ab ipso definita sit antea. Etenim „quodcunque fit, inquit, aut praesenti aut praeterito aut futuro tempore fieri debere constat, unde tria diversa temporum genera in linguis requiruntur. Iam si indicare velimus aliquid v. c. tempore praeterito gestum, cum hocce temporis spatium ex ingenti momentorum numero constet, duplicem sequi licebit rationem. Possumus simpliciter dicere rem tempore praeterito factam, ita ut momentum, quo facta sit, accuratius non definiamus; atque hanc quidem in rem utemur aoristis. Sic in hoc: Deus creavit mundum, quis momentum sibi illud indicari putet, quo res sit gesta? Pronunciatum scilicet erat indefinite, factum hoc esse tempore praeterito. Sed non ubique hoc permittitur; occurrunt non raro, quae quando facta sint, definitius debeas significare. Atqui vix hoc fieri poterit, nisi aliam quandam rem circumspicias eodem momento factam eamque satis notam, quippe quod hac sola ratione illud momentum, de quo loquaris et quo gesta sit res illa altera, accurate indicare possis. Opus est igitur aliis praeterea temporum formis, quae quidquid ponant, respectu ad alia ponant, et indefinitis accuratius definiendis inserviant. Atque haec quidem sunt relativa. Exemplum habes in hoc. Graecia floruit, cum libera esset. Ubi imperfecto, quod relativum est, definitur aoristus.“ In his autem verbis si, quot insint enunciata, tot inesse fere contendam errata, non verendum mihi videtur, ne iniquius cuiquam iudicasse existimer. Primum enim quod Dissenius certum et perspicuum voluit aoristi exemplum esse, id sive ipsum spectas sive verba explicandi causa adiecta eodem iure potes pro perfecto i. e. pro relativo tempore accipere. Qui enim dicit θεός πεποίηκε τὸν κόσμον eum non magis quam qui dicit θεός ἐποίησε τὸν κόσμον indicare momentum, quo mundus a deo creatus sit, id omnibus, credo, ex iis, quae disputata a nobis sunt antea, manifestum erit. Deinde intelligi non potest, cur tempus rei aoristo prolatae non possit nisi narranda re alia accuratius definiri, quum et adverbia et omnes quae adverbiorum vim habent loquutiones huic consilio videantur satisfacere posse. Tum si vel maxime definiendi temporis causa narrare volumus aliam rem, curram quaeso ad designandam eam plane novum ali-

*) Aristot. Categ. c. 5. οὐ πᾶσι δὲ τοῖς πρὸς τι ὑπάρχει ἐναντιότης· ergo maiori tamen eorum parti.

quod inveniendum est temporum genus? Nempe, ut accuratius definiatur indefinitum tempus, res „et eodem tempore facta et satis nota“ narretur necesse est, eiusmodi autem rei significatio cum non cadat in naturam illius temporis necessario inveniendum erat aliud. At neutrum Dissenio concedere possum. Ut enim a posteriore sententia refellenda exordiar, rem notam indicare, si spectas necessitatem, in nullum, si potestatem, in omne tempus cadit. An persuadere tibi potes, verba exempli causa a Dissenio allata: „Graecia floruit (ἤκμασε) quum libera esset,“ si libertatis tempus audienti ignotum est, non intelligi posse, haec contra: „Graecia floruit postquam liberata est (ἡλευθερώθη) si, quando illa liberata fuerit, cognitum est, incommode atque inepte dici? Imo vero hoc ipsum putare sentis ineptum fore. Neque magis assentiri Dissenio possum contententi, rem eodem tempore factam non posse indefinito tempore exprimi. Ut enim nunc quidem re fungar exemplis Cic. N. D. III. 28. „Nec enim Herculi, inquit, Deianira nocere voluit, quum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit nec prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio vomica eius aperuit, quam sanare medici non potuerant.“ Hom. Jl. γ. 441., ubi Neptunus ita compellat Apollinem: Νηπύτι, ὥς ἄνοον κραδίην ἔχες· οὐδέ νυ τῶνπερ Μέννηται, ὅσα δὴ πάθομεν κακὰ Ἴλιον ἀμφὶ Μοῦνοι νῶϊ θεῶν, ὅτ' ἀγήνορι Λαιομέδοντι Παρ Λιδὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτόν. Patet igitur, ad rem notam eodemque tempore factam indicandam non futurum opus fuisse praeter aoristum inducere relativum tempus.

Iam vero, ut veniamus ad illud, quod priore loco sumptum a Dissenio est, quaeri profecto potest, curnam omnino, temporis accuratius definiendi causa, rei notae eodemque tempore factae significatio tam necessaria visa sit Dissenio? Duo videlicet temporis definiendi genera ab eo confusa sunt, quorum in altero de tempore ipso, quo res aliqua facta est, in altero de ratione, quae inter duarum rerum tempora intercedit, quaeritur. De priore sine dubio cogitavit Dissenius, quum tamen verbi temporibus proprium constet et peculiare esse posterius. In hoc autem quum id unum pateat agi posse, ut apertum fiat, utrum altera res praecedat alteri, an una cum ea sit an denique succedat, primum est evidens, res hoc modo inter sese comparatas non semper posse eodem tempore factas esse, deinde ad huius comparisonis intelligentiam ne minimum quidem notaene res illae sint necne referre posse. Ita quum Caesar B. G. I. 4. „ea res, inquit, ut est Helvetiis per indicium enunciata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt,“ quis, quaeso, etsi duarum rerum, quae hic narrantur, alterum tempus accuratius definitur altero, quis, inquam, idcirco alteram earum rerum necessario dicet oportere notam eodemque tempore, quo altera, factam esse?

Quum his autem iam satis Dissenii argumentatio videri possit refutata esse, tum accedit etiam, ut sua ipsius se confessione iugulaverit. Post verba enim, quae

excitavimus antea (p. 76. et 77.) non dubitat ille pergere ita: „Neque tamen solum aoristi sed etiam relativa tempora relativis illustrantur. Caes. de b. civ.: Hinc quum se recipere vellent, rursus illi ex loco superiore nostros premebant.“ Quid autem hoc aliud est nisi fateri, discrimen ab ipso inter aoristum et relativa tempora positum falsum et commenticium esse? id quod magis etiam intellecturus fuisset, si non relativis solum sed aoristis etiam illustrari relativa *) recordatus fuisset. Omnino enim adeo non videtur relativorum esse, illustrare alia, ut ipsa potius semper videantur illustranda aliunde esse. Quod enim alio semper referendum est, id, nisi aut mente aut verbis hoc alio addito, non potest intelligi. Quod autem alio demum addito intelligi potest, id hoc alio illustrari apertum est. Aoristum contra quum, ut ipse Dissenius ait, per se constare possit non necessario apparet egerre illustratione illa. Quae quum ita sint statuere profecto licet, a Dissenio ut antea non ex ipsius relationis vi et potestate, ita nunc ne ex temporum quidem origine recte se relationem temporum definiisse demonstratum esse.

Reliquum est, ut videamus, quomodo singulis verbi temporibus ista relationis notio a Dissenio vindicata sit. Postquam illo praeceunte Harrisio **) novem enumeravit, quae relativum usum admittant tempora, primum tria relativa praesentia (τύπτω, τύψω, τέτυφα) ita ad suam relationis notionem revocare conatur. „Ex iis, inquit, quae supra de tempore disputata sunt, eas res patet esse praesentes, quae una exstent cum cogitatione nostra. Quare quum ea vera relatio sit, si quid recte cogitari non possit, nisi cum alio quodam cogitatum, cum quo, si fiat, una fiat eodemque tempore, quid dubitamus, tria ista tempora relativa esse, quae, quod ponunt, in eo ipso tempore ponunt quo cogitamus, et, quae si contenderes sine istius momenti cogitatione recte posse intelligi, vi sua privares, aoristosque faceres? Sic v. c. illud: dicunt, ferunt, quando non intelligitur de eo momento, quo loquimur et cogitamus, de aliqua quacunque praesentis temporis parte accipiendum h. e. pro aoristo habendum.“ Ne tamen desideret quis in his relativis eam rem, ad quam pertineant ea, adiiciuntur a Dissenio haecce: „cogitatio dum

*) Cf. Hom. Jl. ε, 571. Αἰνείας δ' οὐ μεῖνε, θοός περ ἐὼν πολεμιστής, ὧς εἶδεν δύο φῶτε παρ' ἀλλήλοισι μένοντε.

*) Dissenius etsi haud pauca ex uberrimis Harrisii fontibus deduxit in rivulos suos, silentio tamen premit nomen eius et quasi-ipse sit auctor huius divisionis temporum „causam, inquit, intelliges, quare hanc temporum relativorum partitionem fecerim:

praesens	praeteritum	futurum
pr. impf. παύομαι	praet. impf. ἐπανόμην	fut. impf. παύσομαι
pr. pf. πέπαυμαι	praet. perf. ἐπεπαύμην	fut. pf. πεπαυμένος ἔσομαι
pr. f. μέλλω παύεσθαι	praet. f. ἔμελλον παύεσθαι	fut. f. παυσόμενος ἔσομαι.“

in aliis occupatur, sui immemor, fieri non potest ut animadvertat praesentium ad se ipsam relationem; quo fit, ut haec per se constare visa, definite ponantur. At praeterita et futura non referuntur ad cogitationem nostram, tamquam cum qua una et simul sint, sed ad res praeteritas et futuras simul factas, simul faciendas; quare, quum relatio hic sit inter res cogitationi obiectas, scientiam nostram fugere nequit.“ Ut autem mittam haec postrema verba, quae tam obscura profecto et recondita sunt, ut argumentatio antecedens suae ipsius quasi imbecillitatis sensu perterrita in horum dumetorum latebras videatur confugere voluisse, ut haec igitur mittam et tempora illa concedam idcirco, quia in idem, quo cogitemus, tempus cadant, posse relativa appellari, vide tamen, quantopere vir doctus in priore illa ratione concludenda a vera intelligendi disserendique arte descierit. Sumit ille, relationem positam in eo esse, ut res aliqua recte non possit nisi una cum alia cogitari. Assumit praesentes appellari eas res, quae una exstent cum cogitatione nostra. Inde autem vult effici, tempora praesentia, prout res iis elatae aut una cum cogitatione nostra aut secus cogitentur, aut instructa aut destituta esse relationis vi. Quasi vero, si constat, res praesentes exstare una cum cogitatione nostra, pendere tamen ex libidine loquentium possit utrum velint eas ita exstantes cogitare necne. Imo si vel maxime quid ex iis, quae a Dissenio sumpta sunt, effici velis, nihil aliud profecto hoc esse potest, nisi praesentia tempora ad unum omnia numeranda in *relativis* esse. Non mirum igitur videri potest, doctrinam tam repugnantem intelligendi veritati, pugnare etiam cum loquendi usu. Quum enim discrimen inter relativum praesens et praesentem aoristum in eo videamus a Dissenio positum esse, ut res relative elata eo ipso, quo loquatur quis, res autem indefinite expressa quocunque alio praesentis temporis momento evenire cogitetur, si ex hoc discrimine tribuere aggredimur ea, quae re vera usurpari possunt, praesentia, dubii saepe haerebimus, utri generi annumeranda sint singula. Occupatus ego sum in scribenda epistola. Intrat amicus, quo conspecto scribere desino. Quidnam agis? ille interrogat. Scribo epistolam, respondeo. Iam utrum tempus sit scribo illud quaeritur. Num relativum? At illo ipso, quo loquutus sum, temporis momento, non scripsi amplius. An aoristus? At scribo illud manifesto non de aliqua quacunque sed de certa quadam temporis parte accipiendum est. Neutri igitur annumerari potest. Utrique contra in his Ciceronis (pro Cluentio c. 18.) verbis „quotiescunque dico toties mihi videor in iudicium venire.“ Hoc enim quum Cicero sibi et illo ipso, quo dicat, et quovis alio, quo aut dixerit aut dicturus sit, tempore, videri significet, dico illud apparet pro aoristo simul et pro relativo habendum esse. Ergo ab ipsa lingua vides repudiari discrimen illud; repudiatur autem, quia ab ipsa praesentis natura abhorret adeo et alienum est, ut, qui illud statuit, ei necessario etiam praesens tempus non esse praesens confitendum sit, id quod

quod ipse Dissenius intelligenti quidem satis aperte confessus est. Distinguuntur enim ab eo praesentia relativa et praesentes aoristi. At praesentes res dicit exstare una cum cogitatione nostra, aoristos non exstare. Sequitur praesentes aoristos revera non esse praesentes. Quod si quaerimus, qui factum sit, ut in tot tantasque salebras inciderit haec Dissenii disputatio, causa videtur repetenda inde esse, quia recte quidem ille praesentem rem contendit eam esse, quae una exstet cum cogitatione nostra, quid autem sit illud, quod una exstans cum ea in praesentibus temporibus cogitandum sit, haudquaquam recte perspectum habuit. Etenim cogitasse eum patet in infectae actionis praesentibus (ferunt, tradunt) de actione, in perfectae autem et inchoandae actionis praesentibus (πόλις ἐκτισται, amaturus sum) de ipsius temporis conditione, quum in omnibus potius cogitare deberet de conditione. Id autem quum uberius explicandi copia futura sit postea, nunc satis habemus ostendisse, discrimen a Dissenio inter relativa et absoluta tempora positum praesentibus quidem temporibus non convenire.

Progrediens autem ille ad praeterita „imperfectum,“ inquit, „praeteriti significat, ut constat, rem aliquam imperfectam certo aliquo temporis praeteriti momento durantem; plusquamperfectum ponit eam eodem momento exstantem ut peractam; futurum praeteriti ut mente agitatam et quam quis paratus fuerit aggredi. Sunt et haec relativa et, quod est relationis, pertinent ad aliud quidquam, cum quo una et simul sint. Quare, ut exemplum afferam, si quis dicit: cum sol oriretur, ortus esset, oriturus esset, ambulavi, hoc ita capiendum est: tempore ambulationis sol oriebatur, ortus stabat, in eo erat ut oriretur. Ex quo vides, quod velim notari, haec tria, nullo excepto, una esse cum eo, quo referantur.“ At ex hoc quidem exemplo tantum abest, ut tale quid i. e. trium illorum temporum vis relativa videri possit, ut aoristo contra relationis vis inde vindicari queat. Quum enim qui dicit: „quum sol oriretur, ortus esset, oriturus esset, ambulavi“ ambulationem velit intelligi rem primariam, solis autem ortum secundariam, verba illa manifesto non eo, quo Dissenio placet, sed hoc potius modo accipienda sunt: „tempore solis orientis, orti, orituri ambulavi,“ quo facto aoristum ambulavi patet ad aliud, quocum una cogitandus sit, tempus relatum esse. Neque ad relativa tantum tempora sed ad aoristos etiam eadem ratione referri aoristus potest, id quod exemplorum auctoritate comprobatum ivimus antea. Quae autem praeteritorum et praesentium, eadem, ut Dissenius ait (p. 9.), est etiam futurorum temporum ratio. Quapropter si vere relativorum et aoristorum discrimen est positum in eo, ut illa cogitanda sint una cum alia re, haec cogitari ita nequeant, Graecam quidem et Latinam linguam confitendum erit carere aoristis.

Quum igitur vim et potestatem aoristi neque ab iis grammaticis, qui aoristo ipso, neque ab iis, qui relatione eius ad aliud tempus certum aliquod tempus

significari negabant, satis probabiliter videamus explicatam fuisse, hanc unam patet iis, qui eodem modo de hoc loco disputare pergebant, viam reliquam fuisse, ut coniuncta ratione utraque aoristum neque per se neque aliorum, ad quae referretur, temporum ope certum aliquod tempus significari contenderent. Et hanc quidem viam ante octo iam annos, quam Reizianam doctrinam illustraverat absolveratque Dissenius, Godofredus Hermannus ingressus et nova, simul absolutorum relativorumque temporum notione constituta novam inde omnium temporum rationem deducere conatus erat. Quae quidem ratio quo plures et admiratores et imitatores sui adepta est eo accuratius iam nobis examinanda erit.

Distinguit Hermannus eam, quam proprie appellant, relationem, cuius ope ex altero tempore suspensum est alterum, ab universa relatione seu, ut ipse ait, „ratione comparationeque“ omnium temporum, quae quidem posterior tam propria ei videtur tamque necessaria esse ipsius verbi naturae, ut illius demum ope hanc recte intelligi indicarique posse existimet, id quod hac ille ratione evincere studuit. „Quum, inquit, verbi natura inprimis in eo posita sit, ut relatio, quae est inter subiectum et praedicatum, indicetur, id ea re fieri necesse est, in qua maxime posita est relatio. Atque quum verbum esse caeterorum verborum omnium, ut supra docuimus, fundamentum sit, fieri non potest, quin, quae in eo relatio occurrit, eius longe alia ratio sit, quam illius, quae est in nominibus et particulis. Nomina enim et particulae quum subiecti praedicatique signa sint, si quae in iis relationis notae sunt, eae hanc vim habent, ut rem substantiam vel accidens, causam vel effectum, partes consociatas vel disiunctas esse significant. In hoc autem verbo esse, quod solius copulae signum est, nec per se quidem ullam aut subiecti aut praedicati cuiuspiam notionem complectitur, relatio sic tantum potest cogitari, ut ad solum esse, non ad ea, quae sunt, spectet. Atqui hoc esse nullas habet, nisi temporis notas, quia, quidquid est, aliquo tempore esse cogitur. Quamobrem omnis verbi relatio ad temporum inter se rationem comparationemque pertineat necesse est.“ Quae quidem verba si ad iustam ratiocinandi formam revocarimus, haec inde rationis conclusio evasura est: Quaecunque relatio est inter duas res, ea indicari non potest nisi ea re, in qua ipsa posita est aliqua relatio. Atqui in verbo esse, quo in omnibus verbis relatio ea, quae est inter subiectum et praedicatum, indicatur, nulla alia nisi temporum relatio inest. Ergo relatio, quae inter subiectum et praedicatum est, temporum tantum relatione indicari potest. At haec argumentatio haud exiguis est praedita vitiis. Quod enim sumpsit Hermannus, relationem non posse nisi ea re, in qua ipsa sit posita relatio quaedam, indicari, quem quaeso id sibi putat concessurum esse? Ut enim omnes rerum notiones a lingua non aliis notionibus sed signis tantum earum indicari constat, ita relationis quoque notio non alia relatione sed signo tantum eius debet exprimi.

Quum autem plura sint relationis genera, vim et naturam singulorum non ex natura signorum sed hanc potius ex illa suspensam esse manifestum est. Ergo qualis inter subiectum et praedicatum, non qualis in verbo esse relatio esset, quaerendum Hermannus erat. Ipsam autem illam temporum relationem, qua verbum esse opinatur instructum esse, undenam hausit eam? Scilicet inde, quia, quidquid sit, id aliquo tempore esse cogitandum sit. At hinc profecto nil sequitur nisi id quod iam dudum docuerat Plato et Aristoteles, universam notionem temporis, non vero quod Hermannus inde vult effici, relationem temporum in verbi esse naturam cadere *).

Missis igitur his, quibus frustra spes excitata erat, ratione et arte aliquando relationis vim explicatum iri, videamus iam num reliqua fortasse disputationis parte aliqua lux huic doctrinae accensa sit. Progrediens ille ad ipsam temporum divisionem triplicem statuit uniuscuiusque i. e. et praeteriti et praesentis et futuri temporis relationem esse, aut enim, ait, tempus per se constans et definitum esse, aut ex alio tempore pendens, aut neque per se definitum neque ex alio tempore pendens **). Inelegans profecto dividendi ratio iamque dudum illa notata graviterque reprehensa a Tullio. Etenim est ea simillima eius, qua in cupiditatibus disperendi usus olim Epicurus est. Ut enim is tria haec genera cupiditatum posuit: naturales et necessarias, naturales et non necessarias, nec necessarias nec naturales, ita Hermannus quoque, si accuratius eius verba consideraveris, haec tria reperiens posuisse temporum genera, unum definitum per se, alterum definitum aliorum ope, tertium neque per se definitum neque aliorum ope. „At, ut in meum usum vertam Ciceronis verba ***), hoc non est dividere sed frangere. Qui si di-

*) Ne tamen quis existimare possit, illam fortasse, quae inter tria primaria tempora quodammodo statui potest, relationem, ab Hermannus significatam esse, ipse paullo infra diligenter cavet his verbis: „Ante omnia igitur hoc est observandum tria omnino esse tempora, praeteritum, praesens, futurum, sed ex hac differentia nullam peti posse relationis temporum divisionem.“

**) In tertio hoc definiendo temporum genere aperte secum ipse pugnat Hermannus. Quum enim id p. 186. ita definierit ut nos supra diximus, p. 181. contra tertium illud genus ait et per se certum ac definitum esse et simul consequutionem complecti aliorum temporum. Quum autem prior illa definitio sola manifesto toti eius singulorum temporum explicationi accommodata sit, non videtur dubium esse, quin ei, quum p. 181. quoque ponere definitionem illam vellet, imprudenti exciderit altera. Neque aliter video eos iudicasse, a quibus comprobata et repetita est Hermannus ratio. Ita in magna artium litterarumque Encyclopaedia, quae Erschii et Gruberi auspiciis coepta est Lipsiae edi (Vol. IV. s. v. Aoristus) G. W. Müllerus tria ait esse temporum genera: I. die Art derjenigen Zeit, welche unabhängig von einer anderen Zeit und für sich bestehend gedacht wird; II. die Art derjenigen Zeit, die in Bezug auf eine andere Zeit oder von einer anderen Zeit abhängig gedacht wird; III. die Art der weder von anderer Zeit abhängigen noch für sich hinlänglich bestimmten Zeit.

***) de Finibus II, 9.

ceret, temporum esse duo genera, definita et indefinita, definitorum quoque item duo, definita per se et definita aliorum ope, confecta res esset. Vitiosum est enim in dividendo, partem in genere numerare.“ Dempto autem hoc vitio in universa quidem temporum divisione Hermannus videmus convenire cum Harrisio, in universa relationis definitione cum reliquis, discrepare autem ab utrisque in hac re, quod definitorum temporum statuit rursus duo genera, quorum unum tantum relationis vi, alterum per se ipsum definitum sit *).

In huius igitur distinctionis veritatem ante omnia nobis inquirendum est. Hermannus ipse de ea ita loquutus est: „Primum igitur genus relationis, quod in temporibus cernitur, in eo positum est, ut aliquod tempus certum sit et definitum, id est, ut a continua temporum perpetuitate seiungatur certoque in loco constitutur ac per se constet. Id hisce formis exprimitur, praeterito perfecto, praesenti, futuro, ut γέγραφα, γράφω, γράψω **), scripsi, scribo, scripturus sum. His enim verbi formis tempus certum definitumque notatur, ut non sit alius temporis commemoratione opus, unde, quando quid factum sit, fiat, futurum sit, cognoscatur. Secundum genus temporum relationis illud est, quo tempus aliquod ex alio tempore pendere indicatur, ita ut in isto alio tempore causa posita sit, qua ei tempori, quod ex hoc pendet, locus suus destinetur. At quum omne tempus aut praeteritum sit, aut praesens, aut futurum, alia tempora e praeterito, alia e praesenti, alia e futuro pendeant necesse est.“

Tria igitur illa, quae priore loco nominata sunt tempora Hermannus vult quasi fundamentum esse, cui reliqua praeter aoristum nitantur ita, ut, quum per se vaga et instabilia sint, eorum ope fixum aliquem et certum locum obtineant. Quaeritur ergo primum, qua in re haec trium illorum temporum stabilitas posita sit. Nempe ad praesens momentum omnia pertinent, hoc autem ex tota temporis perpetuitate solum constat per se certum et definitum esse loquentibus. Iam autem continuo haec altera oritur quaestio, num haec praesentis, quae in tribus illis tem-

*) Prima bipartitae huius divisionis initia apud Maximum Planudem habes, qui quae fusius exposuit de temporibus antea, breviter deinde complectitur his verbis: Ὁ μὲν γὰρ ἐνεστώσ ὅρον ἔχει τὸ νῦν (definitum per se) ὁ δὲ παρατατικὸς τὸ ἀνατέλλοντος τεχὸν τοῦ ἡλίου (solis enim ortu antea usus erat exemplo actionis, in cuius tempus incidere posset tempus actionis imperfectae, ergo definitum alio tempore) ὁ παρακείμενος δὲ τὸ ἄρτι (definitum per se) ὁ δὲ ὑπερουντελικὸς καὶ αὐτὸς τὸ ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου (definitum alio tempore) ὁ δ' ἀόριστος οὔτε τούτων οὐδὲν, οὔτε ἄλλο τι.

**) Pro hac futuri forma Hermannus, si scribere voluisset accuratius, uti debuisset forma μέλλω γράφειν et Dissenius iam monuit in disputatione de temp. et modis et praeter adiectam interpretationem Latinam „scripturus sum“ satis ostendunt ea, quae de utriusque formae discrimine disputata ab eo sunt postea p. 196 sq.

poribus inest, significatio, habeat eam vim, ut, quando id, quod illis exprimitur, fiat, factum, futurum sit, nulla etiam alius temporis commemoratione adiecta, cognosci possit. De praesenti quidem id facile concedi potest, nullo modo autem de duobus reliquis. In his enim, ut pluribus demonstravimus antea (Part. I. p. 28. et II. p. 3. et 4.) distinguenda sunt bina tempora, quorum sua utrique vis et potestas est. Alterum enim continet actionem aut iam praeteritam aut futuram, alterum conditionem in utroque praesentem. Conditionis tempus est certum, incertum contra actionis. Illius igitur tempus non potest non per se iam satis apertum esse, hanc autem, ut quando quid factum futurumve sit intelligatur, non patet carere posse significatione aliqua temporis aliunde petita. Ut rem illustrem exemplis: si Lycaon apud Homerum (Jl. φ. 81.) et Helena apud eundem (Jl. ω. 765.) simpliciter dicerent ille ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα, haec ἐμῆς ἀπελήλυθα πατρὸς, nulla alia profecto certi alicuius temporis notitia inde peti posset, nisi eo ipso, quo loquentes illi inducti sunt, momento alterum iam rursus fuisse in patria, alteram etiam tum abfuisse. Quum autem alius etiam temporis commemoratio ab iis facta sit, Troyam cognoscimus revertisse illum, ante dies duodecim (.. ἕως δέ μοι ἐστίν Ἡδὲ δωδεκάτῃ, ὅτ' ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα), Graeciam ab hac relictam esse iam annum vicesimum (Ἡδὲ γὰρ νῦν μοι τόδ' ἐμικιστὸν ἔτος ἐστίν, Ἐξ οὗ κείθεν ἔβην καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθα πατρὸς). Eodem modo si Herodotus lib. III. cap. 63. praeconem in Aegypto ex Perside reversum nil fecisset loquentem nisi haecce: ἐγὼ Σμέρδιν τὸν Κύρου οἴκῳ ὄπωπα, non possemus non putare, nunquam ad id tempus in conspectum eius venisse Smerdem illum, ex interiectis autem verbis ἐξ οὗ βασιλεὺς Καμβύσης ἤλασε ἐς Αἴγυπτον certum aliquod temporis punctum, ex quo id non factum sit, noscimus. Adde locos, quibus quum desit talis temporis commemoratio prorsus incertum manet quando quid factum sit. Jl. ε. 204. πεζὸς ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα. o. 189. ubi Neptunus: Τρεῖς γὰρ τ' ἐκ Κρόνον εἰμὲν ἀδελφοί, οὓς τέκετο Ῥέα, Ζεὺς καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ' Αἰδῆς, ἐνέροισιν ἀνάσσω. Τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς. Aesch. Ctesiph. §. 154. Τέτταρες ἤδη γεγέννηται καιροί, ἐν οἷς αὐτὸς πεπολίτευται. Ibid. §. 133. Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων μεθ' ἡμέραν μίαν ἐκ μέσης τῆς Ἑλλάδος ἀνήρπασται. Ut autem perfectum ita ne futurum quidem illud per se tam constans et certum esse, ut, quando res eo indicata eventura sit, inde intelligi possit, argumento sint hi loci ex Ciceronis epistolis petiti. Etenim si ad Atticum lib. XVI. ep. 4. simpliciter ille scripsisset: „venationem, quae futura est“ ignoraremus videlicet, quando venatio illa futura fuerit; quum autem dixerit: „venationem, quae postridie ludos Apollinares futura est“ iam nulla de tempore nobis dubitatio remanet. Quod idem cadit in hos locos: ib. V. 20. „sed totum est, quod Kal. Martiis futurum est.“ XV. 20. „nisi explicata solutione non sum discessurus“ (cf. Part. II. p. 3.).

Quare quum nobis demonstrasse videamur, in perfecti et futuri illius naturam haudquaquam cadere, ut ex solis formis earum, quando futura vel facta, sed tantum quando sit aliqua res cognosci possit *), progredi iam licet ad quaestionem tertiam, triumne illorum temporum constantia nihilominus tanta sit quanta ad reliquorum mobilitatem sistendam opus est. Cernitur illa, ut modo vidimus, in designando praesenti tempore. Quare si alia tempora ab iis ita quasi regi et gubernari vis, ut, quum per se libere per singula temporis spatia erratura essent, eorum potestate certo aliquo loco consistere cogantur, hoc ita tantum patet fieri posse, ut eorum ope revinciantur ad praesens tempus. Tantum igitur primum apertum est, ea tempora quae per se iam aliquo modo ad praesens pertinent, nullo modo in suspensorum illorum temporum ordinem recipi posse. Neque tamen Hermannus dubitavit recipere ea; quae enim modo dixerat per se certa et definita esse (*γράφω, γέγραφα*, scripturus sum) eadem paullo post vult ex definito praesenti illo suspensa esse. Id autem cum propter causam allatam constare cum vera ratione non possit, reliqua tantum sunt ea tempora, quibus nulla prorsus cum praesenti momento communio est. At hanc ipsam ob causam, quia aliena ab horum temporum natura est omnis praesentis significatio, necessario videtur statuendum esse, in praesenti tempore non posse „positam causam esse, qua illis ut suspensis ex hoc destinetur locus suus.“ Quod si tamen Hermannus terna eorum ex perfecto *γέγραφα* totidemque e futuro scripturus sum illo modo existimat apta esse, huius erroris fons sine dubio is est, quia definita illorum temporum vis ab eo non in conditione, sed in actione, quae iis exprimitur, posita est. In hunc autem rursus errorem induxit eum refutata iam supra (Part. II. p. 8.) veterum praecipue grammaticorum opinio, perfecto indicari actionem modo perfectam. Quae enim modo absoluta est actio, eius tempus quum proxime attingat praesens momentum aliquo certe modo dici potest definitum esse. Idem cadit in futurum illud scripturus sum, quod, si perfectum indicat actionem modo absolutam, non potest non indicare actionem absolvendam modo. Quamquam ne ita quidem satis intelligi potest, quomodo Hermannus adeo occaecari potuerit errore illo, ut prorsus et contra rationem et contra loquendi usum de temporibus illis statuerit. Etenim quum ille ea tempora, quae ex aliis pendent, aut praecedere his velit, aut una cum iis esse aut subsequi, ex perfecto, ait, ut praegressum pendere plusquamperfectum ὅτε ἐγγράφειν παραγέγονέ τις, ut coniunctum tempus imperfectum ὅτε ἔγραγον

*) Vix opus monere videtur, in iis etiam locis, quibus nulla temporis commemoratione adiecta sponte intelligitur rem perfecto expressam aut modo aut eo ipso, quo loquimur, momento peractam esse, certi huius temporis intelligentiam non ex sola perfecti forma sed aut ex sententiarum nexu aut ex loquentis conditione petitam esse.

παραγέγονέ τις, ut succedens denique futurum imperfecti ὅτε ἐμελλον γράφειν *παραγέγονέ τις*. At tantum abest, ut tria haec tempora praeterita necessario pendeant ex perfecto, ut satis idonea etiam afferri causa possit, cur ex vere praeteritis potius debeant apta esse. Namque ut pares omnino facillime congregantur cum paribus, ita tempora etiam consentaneum est, quo propinquior alterius natura est alteri, eo facilius inter sese societatem inire. Tria igitur illa, quae Hermannus a perfecto regi vult tempora, quum solum spectent praeteritum, saepius sequitur consociatum iri cum iis temporibus, quae solius praeteriti, quam cum iis, quae simul praesentis notionem contineant. Quod autem evincit ratio, id egregie comprobatur usu. Trium enim illorum inter semet ipsa coniunctio temporum, quae ex Hermanni ratione inveniri deberet nunquam, omnium longe est usitatissima atque creberrima *), eorundem contra consociatio cum perfecto, in quam incidere nos oporteret ubique, admodum rara est atque insolita **). Quo autem nomine Hermannus in his praeteritis temporibus notandus est, eodem, si constitisset sibi, reprehendendus etiam foret in futuris. Quum enim ratio eius flagitaret, ut pro fundamento illorum poneret id tempus futurum, quod simul spectat ad praesens tempus: adventurus sum, positum potius ab eo id est, in quo solius futuri inest significatio: adveniet. Exempla enim, unde temporum a futuro suspenso-

*) Non tam confirmandae quam illustrandae huius sententiae causa ex ingenti eorum, quae sponte sese offerunt, exemplorum copia, nonnulla certe afferam: Herodotus lib. I. c. 116. ἐπεὶ δὲ, inquit, ὑπελέλειπτο ὁ βοτάνος μῦθος, μονωθέντα τὰδε αὐτὸν εἴρετο ὁ Ἀστυάγης. IX. 39. Ἡμέραι δὲ σφι ἀντικατημένοναι ἤδη ἐγεγόνεσαν ὅτι ταῦτα ἐκείνος συνεβούλευε Μαρδονίῳ. V. 20. οἱ δὲ, ἐπεὶ τέ σφισιν οἱ Πέρσαι ψάειν ἐπειρώντο, διεργάζοντο αὐτοῖς. III. 57. οἱ δὲ ἐπὶ τὸν Πολυκράτηα στρατευσάμενοι Σαρίων, ἐπεὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι αὐτοῖς ἀπολείπειν ἐμελλον, καὶ αὐτοὶ ἀπέπλεον ἐς Σίφνον. Cic. Att. XI. 17. Matri cam, quum primum per ipsam liceret, eam remissurus.

**) Quod Dissenio (p. 10.) videtur, tria illa tempora omnino non posse ad perfectum referri, id non verum esse, quum ex ipsa perfecti natura intelligi possit, quae propter actionem in praeteritum tempus cadentem non potest non commune aliquid habere cum temporibus vere praeteritis, tum exemplis, quae apud optimos scriptores inveniuntur, confirmatur vel maxime. Ita Jl. ω. 392. Τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχη ἐν κυδιανίῃ Ὀφθαλμοῖσιν ὅπωπα, καὶ εὖ τ' ἐπὶ νηυσὶν ἐλάσας Ἀργείους κτείνεσκε, qui quidem temporum usus plane respondet exemplo ab Hermanno ficto ὅτε ἐγγραφον παραγέγονέ τις, quamquam in eo non, ut huic videtur, praeteritum definitur perfecto, sed perfectum potius praeterito. Ex duabus enim, quae particula aliqua inter sese coniunctae sunt, enunciationibus, eam constat, quae instructa est particula, inservire definiendae alteri, quapropter mirari subit, cur Hermannus in omnibus, quae in hac doctrina finxit, dicendi exemplis, particulam addiderit ei enunciationi, quae accuratius definienda est altera. Dicit ille ὅτε ἐγεγράφειν παραγέγονέ τις, debebat autem dicere ἐγεγράφειν ὅτε παραγέγονέ τις, quamquam tum ille magis etiam, quantopere haec temporum coniunctio a loquendi usu abhorreat, sensurus fuisset.

rum appareat ratio, ficta ab eo haec sunt: „ὅτε γεγραφῶς ἔσομαι παραγενήσεται τις quum scripsero adveniet aliquis, ὅτε γράψω παραγενήσεται τις quum scribam adveniet aliquis, ὅτε γράψων ἔσομαι παραγενήσεται τις, quum scripturus ero, adveniet aliquis,“ quum pro simplicibus futuri formis παραγενήσεται et adveniet semper usurpandae ei fuissent compositae μέλλει παραγίνεσθαι et adventurus est. At veritatis, credo, quodam sensu admonitus non convenire sibi quam falsa docere maluit.

Haec si vere a nobis disputata sunt, totum discrimen ab Hermanno inter tempora definita per se et definita aliorum ope positum apparet falsum esse. Hoc autem si falsum est, ne illud quidem, quod inter universum hoc temporum genus et aoristum ab eo constitutum est, potest verum esse: sublato autem hoc totam istam relationis doctrinam, qua ille tanquam crepidine quadam suam de temporibus disputationem sustineri vult, everti prorsus et tolli apertum est.

Confecto autem sic naturali quodam huius aoristorum doctrinae orbe, qui in eadem perseverare voluerunt postea ii non poterant non superiorum repetere opiniones et placita; id quod, ut alios mittam, a G. Muellero praecipue et Frid. Ellendtio *) factum est. Atqui veram aoristi naturam haudquaquam vidimus hac ratione explicatam fuisse. Alia igitur ineunda et re vera iam dudum inita erat. Quam tamen priusquam persequimur non alienum videtur in quaestionem vocare, quem *usum omnino grammatici* adhuc commemorati a nobis tribuendum existima- verint aoristo esse. Sequemur in hac re potissimum Hermannum ducem, quippe qui primus de ea disputaverit via et ordine et, quae disperse dicta erant a reliquis, generatim complexus sit omnia. Etenim quum non minus, quam reliqui omnes, ille incertam aliquam seu indefinitam existimet temporis partem significari aoristis **), dupliciter ait hanc vim eorum cerni posse, quum aut coniunctae cuiusque temporis partes omnes aut ex omnibus cuiusque temporis partibus aliqua certa pars, quaecunque demum illa sit, significetur iis. Et ex priora quidem significatione
oriri

*) Uterque Hermannum ducem sequutus est (cf. Encyclop. artt. et litt. Erschii et Gruberi s. v. Aoristus, et Ephemeridd. litter. Halens. 1835. mens. Iun.) prior autem, quod mireris, ad illam etiam veterum quorundam magistrorum opinionem recidit, qua aoristus putabatur additis adverbiiis temporis ex infinito tempore fieri posse finitum. Leguntur enim apud eum haec verba: „Die Form dieser Zeit (tempus infinitum) als aoristische Form erhält durch den Beisatz von Zeitadverbien festere Bestimmung z. B. Er schrieb — vorgestern früh um 7 Uhr.“ Cf. Steph. in Bekk. Anecd. II. p. 892.

**) Cf. Dissen. de temp. et mod. p. 16. „Ut aoristi cum aliis temporibus relatione non cohaerent, ita etiam definiti non sunt, quod ipsum nomen indicat, h. e. illud temporis momentum, quo quod factum esse significant, factum sit, prorsus relinquunt incertum. Ἐγγραψεν indicat rem praeteritam, sed momentum illud temporis praeteriti, quo quis scripserit, non designat.“

oriri notionem iterationis et consuetudinis, ut in Pindarico illo πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπασσεν et in Homericis ἐπιμῖξ δέ τε μαίνεται Ἄρης et ὥς δ' ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον. Hanc tamen frequentationis notionem quum sensisset ille cadere etiam in perfectum et imperfectum, illud opinatur idcirco non repugnare sententiae suae, quia in omnibus perfecti exemplis, quibus consuetudo indicetur, ut in notissimo illo ὃς Χρῦσιν ἀμφιβέβηκας, non aliam esse huius temporis quam praesentis vim. Assensi ei sunt Matthiaeus *), Hertelius **), Kuehner ***) alii, contra primus dixit Dissenius, qui recte monet †), si in praesenti insit consuetudinis notio, hanc ne a perfecto quidem, quod praesenti ut fundamento suo nitatur, abiudicari posse, quamquam locus ab eo ex Matthiaei vel potius ex Fischeri copiis allatus Xen. Cyrop. IV. 2, 22. οὐδέν ἐστι κερδαλεώτερον τοῦ νικᾶν· ὁ γὰρ κρατῶν ἅμα πάντα συνήρπακε tum propter scripturae discrepantiam, ferunt enim nonnulli codices aoristum συνήρπασε, tum quia hic quoque perfectum videri possit habere praesentis vim, parum idoneus est ad vindicandam illam notionem etiam iis perfectis, in quibus propria apparet vis perfecti h. e. in quibus praeteriti actio non obliterata est conditione praesentis temporis. Neque deest tamen satis magna eorum, qui huc faciunt, locorum copia. Hom. Jl. ο. 140. Ἦδη γάρ τις τοῦγε βίην καὶ χεῖρας ἀμείνων Ἦ πέσσει ἢ καὶ ἔπειτα περὶσσεύεται ††). Herodot.

*) Gramm. Gr. ampl. §. 502.

**) In commentatione de temporum praeteritorum apud Homerum ratione et usu. Zwick. 1833. „Non autem reperiri perfectum in significatione aoristi ea, in qua solere inest, ut in formulis Hom. Jl. α, 37. ὃς Χρῦσιν ἀμφιβέβηκας, quoniam etiam hic praesentis potestas obtinet, dudum docuit Hermannus de emend. p. 198.“

***) Gramm. gr. ampl. vol. II. p. 71. „Solche Perfectformen, welche Präsensbedeutung haben, können, wie das Präsens, eine Wiederholung in der Zeit ausdrücken, als Jl. α. 37.“

†) de temp. et mod. p. 21.

††) Participium perfecti eodem modo ab Homero dictum habes Jl. ι. 320. Κάτθαν' ὁμῶς ὃ τ' ἀεργός ἀνὴρ ὃ τε πολλὰ ἐοργώε, cuius participii vis neglecta ab Hermannō in causa fuit, cur hic nisi inferendo in aoristum κάτθανεν potestatis significationem hunc locum negaret omnino recte intelligi posse. Verba enim eius in libro secundo de emend. rat. Gr. gr. p. 188. haec sunt: „Quorum versuum postremo si Achilles diceret, pariter ignavos ac strenuos mori solere, sententia nasceretur prorsus inepta iisque, quae dici debebant, contraria. Nam quum Achilles causas exponat, quare a bello abstinere malit, excitari magis ad pugnam debeat, si segnes et inertes pariter ac fortes bellicososque mori solere reputat, quam a pugnando deterri. Quis enim si semel moriendum est, inglorius mori, quam nobili leto occumbere malit? Notum est illud: Ἀλλ', ἔμπης γὰρ κῆρες ἐφεισῶσιν θανάτοιο Ἴσμεν, ἢ ἐπὶ εὖχος ὀρέξομεν ἢ ἐπὶ ἡμῶν. Inde factum est, ut Koeppenius, qui vim aoristi non perspexisset, interpolatōne locum corruptum arbitraretur. At vero κάτθανεν hic est mori potest. Ergo hoc dicit Achilles: Eadem cessantis est et fortiter pugnantis sors; idem ignavi honor et stre-

VII. c. 10. §. 4. ubi Artabanus persuasurus Xerxi, ut, priusquam bellum Graeciae inferat, rem denuo in deliberationem vocet, inducitur ita loquens: Τὸ γὰρ εὖ βουλευέσθαι κέρδος μέγιστον εὐρίσκω ἔόν· εἰ γὰρ καὶ ἐναντιωθῆναί τι θέλει, βεβούλευται μὲν οὐδὲν ἥσσον εὖ, ἔσσεται δὲ ὑπὸ τῆς τύχης τὸ βούλευμα· ὁ δὲ βουλευσάμενος ἀσχερῶς, εἴ οἱ ἡ τύχη ἐπίσποιτο, εὖρημα εὕρηκε, ἥσσόν τε οὐδὲν οἱ κακῶς βεβούλευται, ubi si quis perfecta mutare vellet in praesentia, perverteretur prorsus loci sententia, quod idem valet de lib. IV. c. 199. ubi Herodotus ternas Cyrenaicae annuas messes ita describit: Πρῶτα μὲν τὰ παραθαλάσσια τῶν καρπῶν ὀργῇ ἀμᾶσθαι τε καὶ τρυγᾶσθαι· τούτων τε δὴ συγκεκομισμένων, τῶν ὑπερθαλασσιδίων χώρων τὰ μέσα ὀργῇ συγκομίζεσθαι, τὰ βουνούς καλέουσι· συγκεκόμισται τε ὁστος ὁ μέσος καρπός, καὶ ὁ ἐν τῇ κατυπερτάτῃ τῆς γῆς πεπαίνεται τε καὶ ὀργῇ. ὥστε ἐκπέποταί τε καὶ καταβέβρωται ὁ πρῶτος καρπός καὶ ὁ τελευταῖος συμπαράγινεται *). Adde lib. IX. c. 26. πολλοὶ μὲν γὰρ καὶ εὖ ἔχοντες πρὸς ὑμέας

nui, nec minus mori potest, qui bello abstinet, quam qui in praeliis versatur. “ At si Her-
mannus pro praesenti versatur posuisset, quod sermo flagitat, versatus est (Jl. β. 272.
γ. 57. 352. ε. 125.) aliter, credo, ille de hoc loco iudicaturus fuisset. Etenim praesens per-
tinet ad mortem proeliorum fortuna, perfectum ad mortem necessitate fati adductam. A
neutra quidem recte dicitur neque fortitudinem neque ignaviam defendere posse. At non
eandem tamen huius sententiae commemoratio, prout aut hoc aut illud mortis genus specta-
tur, in hominum animos vim exercet. Si enim et ignavi et fortes in ipso proelii discrimine
dicuntur interfici posse, hoc facile apparet non posse nisi exhortandi adque virtutem inflam-
mandi vim habere, ut in nobili illo Horatii loco a Koeppenio iam excitato. „Dulce et de-
corum est pro patria mori, Mors et fugacem persequitur virum.“ Si vero fataliter
omnes, sive ignavi sive fortes fuerint, obire mortem dicuntur, hoc duplicem videtur et exci-
tandi et deterrendi habere potestatem posse. Excitabitur qui secum reputat, etiamsi nunc
effugerit mortem, aliquando tamen se ea abreptum iri, praestare igitur, nunc fortiter pu-
gnando oppetere nobilem eam, quam postea naturae cedendo exstingui inglorium; deterrebi-
tur contra qui cogitaverit, quum ne fortitudo quidem a communi omnibus moriendi necessi-
tate liberare possit, tranquillam se malle et otiosam vitam transigere quam periculis labori-
busque susceptis turbare eam. Illa ratione Sarpedo apud Homerum (Jl. μ. 316.) fugientem
amicum revocare in pugnam studet, hac nostro loco Achilles utitur, ut, cur a pugna absti-
neat, explanet hortatoribus. Quo iure autem Homerus fortissimum bellicosissimumque Grae-
corum potuerit ita loquentem facere, id perspicue eleganterque expositum a Koeppenio est.
Nexus autem sententiarum, quem hic existimat illo versu turbatum esse, videtur hic esse, ut
Achilles postquam versibus 319. et 320. in universum dixit, neque ab hominibus neque a
diis magis quam ignavum virum curari fortem, inde a versu 321. rursus se solum spectans
sibi certe dicat non e re fuisse, obiecisse toties animam periculis bellicis.

*) Hacc verba quum Laur. Valla ita interpretatus esset, ut primam quidem perfecti formam
συγκεκομισμένων Latine quoque reddidisset perfecto his compositis, reliquas autem prae-
sentibus dum hi fructus adornantur et dum primi fructus eduntur atque bi-
buntur, Wesselingius probe intelligens, indicativum *συγκεκόμισται* non minus oportet-

ἡμῖν, ἄνδρες Σπαρτιῆται, ἀγῶνες ἀγωνίζονται, πολλοὶ δὲ καὶ πρὸς ἄλλους *). **Thuc. II. c. 40.** ubi Pericles οὐ γάρ, inquit, πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς γίλους. βεβαιότερος δὲ ὁ δράσας τὴν χάριν ὥστε ὀφειλομένην δι' εὐνοίας ᾧ δέδωκε σῶζειν· ὁ δ' ἀντοφείλων ἀμβλύτερος, εἰδὼς οὐκ ἐς χάριν, ἀλλ' ἐς ὀφείλημα τὴν ἀρετὴν ἀποδώσων. **Cf. ib. IV. cap. 17.** ξυμβεβήκασι. Neque aliter Latini, ut **Cic. Nat. D. III. c. 28.** Multi et quum obesse vellent profuerunt et quum prodesse obfuerunt. Ita non fit ex eo, quod datur, ut voluntas eius, qui dederit, appareat; nec si is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amice dedit.“

In perfectum igitur contra Hermannum statuendum erit consuetudinis notionem non minus cadere quam in aoristi tempus. Audiamus nunc eum imperfectum tempus, a quo maius etiam ei quam a perfecto videtur doctrinae suae periculum nasci, defendentem a significatione illa. „Eandem, inquit, significationem etiam imperfecto tribuunt grammatici. Quorum si vera sententia est, vereor ne omnium temporum ratio in magnas atque inextricabiles difficultates incidat.“ Conatur deinde has difficultates tollere ita, ut imperfectum dicat quum semper ad aliquod aliud tempus referendum sit, ita tantum aliquam frequentationis notionem continere posse, ut non omnino h. e. non quavis temporis parte, quod aoristorum sit, sed certo quodam tempore aliquid fieri consuevisse dicatur. „Quare, inquit, facillime diiudicari potest, quid sit discriminis, utrum aliquid fieri solere aoristo praeterito an imperfecto dicatur. Nam quae aoristo praeterito fieri consuevisse dicuntur, ea

re vim perfecti habere quam antecedens participium *συγκομισμένων*, hunc quidem Vallae errorem emendavit vertendo simul hic medius fructus collectus est, reliqua autem praesentia bibitur et editur corrigenda reliquit Schweighaeusero, qui mutavit tandem illa in ea tempora, quae et rei et linguae natura flagitat h. e. in perfecta quando e potus commensusque est primus fructus.

*) Quartus ex Herodoto locus, qui huc videtur referri posse, est lib. I. c. 193. ἐκ δὲ κέγχρου καὶ σῆσάμου ὅσον τι δένδρον μέγας γίνεται, ἐξεπιστάμενος μνήμην οὐ ποιήσομαι, εὖ εἰδὼς, ὅτι τοῖσι μὴ ἀπιγμένοισι ἐς τὴν Βαβυλωνίην χώραν καὶ τὰ εἰρημένα καρπῶν ἐχόμενα ἐς ἀπιστίην πολλὴν ἀπῆκται, quae posteriora verba Laur. Valla et Wesselingius verterunt „probe sciens, iis qui nunquam Babyloniam regionem adierunt, quae de frugiferis dicta sunt, perquam incredibilia visum iri“, Schweighaeuser „satis gnarus eos, qui . . . ne his quidem . . . fidem adhibituros.“ Perfectum igitur acceperunt pro futuro neque causa latet, cur hoc fecerint. Scilicet quae modo Herodotus de frugibus Babyloniae narraverat, ea quum nondum lecta essent hominibus, nullo modo iam credita non esse sed tantum creditum non iri ab eo dici poterant. At in hac ipsa ratione latet, opinor, vitium, quo sublato non vim afferre sermoni cogimur. Noli enim verba τὰ εἰρημένα referre ad ea, quae modo ab Herodoto scripta sunt, sed ad ea, quae de Babyloniae foecunditate et ab aliis iam antea et ab eo ipso fortasse, priusquam litteris consignaret, dicta erant, neque est profecto cur non veram perfecti significationem in hoc etiam loco retinere possis.

quocunque praeterito tempore fieri solita indicantur, unde merito colligitur, et etiamnum fieri solere et posthac fieri posse; quae autem imperfecto tempore fieri consuevisse significantur, ea ad certam tantummodo partem praeteriti temporis, quae quidem ex alio tempore pendeat, pertinent, neque illa, quae ante aut post istam temporis partem fieri consueverint, comprehendunt.“ At huic quoque sententiae a Dissenio *), Kuehnero **) aliis acceptae obloquitur dicendi magister et arbiter usus, qui aoristo etiam docet rem certo quodam tempore repetitam designari posse. Ita Homerus (Il. 9. 188.) quum Hectorem ita facit alloquentem equos suos: *Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον ἦν μάλα πολλὴν Ἀνδρομάχῃ, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἡετίωνος, Ὑμῖν παρ' ἡρώτεροισι μελίσσονα πυρὸν ἔθηκεν ἡ ἐμοί . .* manifesto non de quocunque sed de eo tantum praeterito tempore, quo Andromache cum Hectore connubio iuncta erat, cogitari vult. Neque aliter aoristo utuntur posteriores, Herodot. V. c. 58. οἱ Ἴωνες παραλαβόντες διδασκῶν παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρῶνθ' ἡμίσαντες σφραγῶν ὀλίγα, ἐχρῶντο· χρεώμενοι δὲ ἐφ' ἅτις αὖν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, ἰσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα Φοινικίᾳ κεκλήσθαι. Soph. Trach. 1076., ubi Hercules doloribus cruciatus ita compellat filium Ἴφ', ὦ τέκνον, τόλμησον οἴκτειρόν τέ με Πολλοῖσιν οἴκτρον, ὅστις, ὥστε παρθένος, Βέβρυχά κλαίων. καὶ τόδ' οὐδ' ἂν εἷς ποτε Τόνδ' ἄνδρα φραΐῃ πρόσθ' ἰδεῖν δεδρακότα· Ἀλλ' ἀστένακτος αἰὲν

*) De temp. et modd. p. 19. „Gravins est, quod primus, opinor, acute monuit Hermannus de Em. r. g. g., alium esse sensum, si quid aoristis, alium si quid relativis fieri consuevisse significetur. Quum enim aoristis quae indicatur repetitio et consuetudo, utpote indefinitis momentis collocata, ad omne spatium temporis eius pertineat, cuius quisque est aoristus; relativis quae exprimitur iteratio et consuetudo certae alicuius temporis partis limites non excedit.“

**) Gramm. Gr. ampl. vol. II. p. 76. „Auch das Imperfect drückt zuweilen eine Wiederholung aus, aber nie schlechtweg, wie der Aorist, sondern immer in Beziehung auf ein anderes, gleichfalls in die Vergangenheit fallendes Prädicat. Während der Aorist überhaupt angiebt, dass etwas in der Vergangenheit öfters geschah, ohne weitere Bestimmung, so zeigt das Imperfect nur an, dass eine Thatsache in irgend einem gewissen Theile der Vergangenheit, welcher durch eine andere in der Vergangenheit liegende Thatsache bestimmt wird, öfters wiederkehrte, nicht aber weder vor dieser noch nach dieser vorgefallen ist. Demosth. c. Aphob. I. p. 834, 65. καὶ ἡμεῖς μὲν (sc. δικάσται) οὐδὲ τῶν εἰς ἡμᾶς ἀμαρτανόντων ὅταν τινὸς καταψηφίσῃσθε, οὐ πάντα τὰ ὄντα ἀφείλεσθε, ἀλλ' ἢ γυναῖκας ἢ παιδὶ αὐτῶν ἐλέησαντες μέρος τι κακείνοις ὑπελείπετε· non omnem rem familiarem eripere, sed partem aliquam illis relinquere solebatis. Zuerst steht hier der Aorist ἀφείλεσθε, weil hier die Wiederholung allgemein ausgedrückt wird, dann das Imperfect ὑπελείπετε, weil dieses Prädicat auf das erste bezogen wird, nämlich als ein solches, welches erst dann einzutreten pflegte, wenn das andere eingetreten war.“ At quis non videt, aoristum ἀφείλεσθε quoque referendum ad certum aliquod tempus esse? Iudices enim non omnem rem familiarem illis eripuisse dicuntur, quum condemnassent eos.

ἐσπόμεν κακοῖς. Thuc. III. 54. εἴ τὲ τι ἄλλο κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον ἐγένετο ἐπικίνδυνον τοῖς Ἕλλησι, πάντων παρὰ δυνάμιν μετέσχομεν. Si vero quis dixerit fortasse, aoristum posse, imperfectum debere hac ratione usurpari, ne ita quidem potest discrimen illud pro vero haberi; quod enim duabus rebus commune est, id nullo modo ut proprium et peculiare quoddam tribuere earum alteri licet.

Quae quum ita sint, recte Dissenius (p. 18.) „quum nullum, inquit, omnino tempus proprie eam vim habeat, ut simul semel an saepius res aliqua facta sit, fiat, futura sit, indicet, nihil obstat, quominus eadem verbi forma promiscue utaris, sive semel, sive sexcenties rem aliquam factam esse significare velis, si modo, quid unoquoque loco verum haberi debeat, aliunde constet. Quare quum definiendus sit numerus, scimus omnes adverbia numeralia addi debere, ut δις ἐστεφανώσατο; ubi vero simpliciter una quadam temporis parte factae res indicantur, aut quae diversis momentis repetitae in consuetudinem abierunt, facile ex sensu loci, quid verum sit, eruitur.“ His autem lectis quum nemo non exspectaturus sit, consuetudinis notionem tributum a Dissenio iri temporibus omnibus, paullo post tamen ille falsa, quam de relatione sibi finxit, opinione deceptus et relativa praesentia contendit excipienda inde *) et aoristi hanc significationem propriam esse **). Quae quantopere pugnent cum antecedentibus, vix esset, cur monerem hoc loco, nisi grammaticos eos, qui post Dissenium quoque consuetudinis vim voverunt propriam aoristo esse, prorsus fugisse videretur repugnantia illa. Laudandus igitur est Aug. Fritschius qui nuper primus tandem aperte docuit, omnia sine ulla exceptione tempora de consuetudine dici neque hinc igitur ullum inter ipsa tempora discrimen peti posse ***).

*) „Quae quum ita sint, hic significatus . . . haud cunctanter omnibus omnino temporibus tribui potest praeter praesentia relativa.“ Quis autem non mirabitur, paullo post tamen (p. 20.) iisdem his praesentibus ab eo aoristorum vim tum universam tum eam etiam, qua repetitio indicetur, tributam esse? Scilicet relativa praesentia, „quum ad unum illud momentum pertineant, quo quis iis utitur“ (p. 19.), ubi de re repetita dicantur, non amplius opinatur talia, qualia ipse constituit, relativa esse. Ut autem taceam relationem istam saepissime consociatam esse cum repetitionis vi, quis non intelligit, si hoc modo liceret et constituere notiones temporum et constitutas rursus tollere, tum futilissimas quasque defendi a quoque posse facillime?

**) „Concedas perfectum (ἐννήπαξε illud ex Xen. Cyrop.) nunc non agere de re tum peracta, quum homo loqueretur, sed cuius peractio diversis iisque indefinitis temporis partibus repeti dicatur, quod est aoristi.“

***) Cf. liber eius, qui inscribitur Kritik der bisherigen Grammatik P. I. p. 19. Quam vehementer autem grammatici propter opinionis, quam defendunt, vanitatem secum ipsi in hac re dissentiant, idem ille ostendit in commentatione de aoristo scripta p. 9.

Transire iam licet ad significationem alteram eamque primariam, quae ab Hermanno et ab omnibus reliquis, quorum adhuc a nobis commemorata doctrina temporum est, aoristo tribui solet. Indicari eo dicunt unam quidem at incertam eam partem temporis. Cuius significationis Hermannus ait in praesenti tempore satis perspicua exempla esse, quae vulgo dici soleant dicunt, ferunt, perhibent, dicitur, fertur, perhibetur. „Quibus, inquit, verbis minime significatur aliquid perhiberi hoc ipso tempore, quo quis hoc verbo perhibent utitur; sed omnino indicatur aliqua eaque certa quidem praesentis temporis pars, sed una tamen de multis, neque ita, ut, quae illa pars sit, constet.“ At illis exemplis, quibus Dissenius quoque ad declarandam indefinitam aoristi vim utitur *), manifesto continetur iterationis notio. Itaque alia Hermanno, quibus hanc praesentis significationem probaret, quaerenda exempla erant. At frustra sine dubio quaesiturus fuisset, nam est naturae praesentis prorsus contraria illa. Hoc enim quum constet ei momento, quo aliquis loquitur, adiacere ita utrimque, ut tamquam copula quadam contineatur eo, quicumque praesentis temporis forma utitur, non potest non cogitare tale spatium, quod illud momentum temporis complectatur terminis suis. Ergo duplex tantum praesentis temporis potest usus esse, aut is, quo actio aliqua per totum illud spatium, sive brevissimum hoc est sive longissimum, pertinet, ut scribo nunc, vivo, est deus, aut is, quo repetitio actionis indicatur eiusmodi, ut et ante illud momentum haec dicatur saepius facta esse et eo ipso fieri et post id etiam factum iri. Ibi habes significationem definitam, hic indefinitam at indefinitam eam, qua indicetur iteratio. Hanc autem quum viderimus non propriam aoristis esse, praesens quidem patet iniuria ab Hermanno in eorum numerum receptum esse.

Reliqui sunt futuri et praeteriti aoristi, quos quidem etsi nemo negabit de una eaque incerto tempore futura aut facta re usurpari posse, id tamen tantum abest ut eorum naturae dici proprium possit, ut et ipsi de certa aliqua et reliqua contra praeterita de incerta temporis parte dici possint. Ita futurum illud **) saepissime de eo, qui nunc se aut missurum aut memoraturum aliquid esse dicit,

*) „Si quis tamen dubitet de aoristo praesenti (nam aoristum futuri neminem video qui non caperet,) eum recordari velim, tempus praesens non semper intelligi de uno momento, sed saepissime sensu dici latiori; atqui si plures sunt temporis praesentis partes, aoristus quomodo locum haberi possit, obscurum esse nequit. Quare v. c. notissimum illud *φασί*, dicunt, ferunt, facile videbis aoristi vim habere, si omne illud temporis spatium, quo rumor feratur, praesens dici, nec iam definitum aliquod eius momentum indicari consideraveris.“

**) De futuro Hermannus ipse hoc concedit p. 204.: „Futurum *γράφω* nunc definiti temporis vim habet, quae proprie sic exprimitur, *μὲλλω γράφειν*, nunc relativum tempus continuatumque alio futuro tempore significat, nunc denique futurum notat indefinitum sive aoristum,“ quam-

ut παρήσομεν Herodot. I, 14. 177. γράσω II, 14. 24. 155. 156. III, 6. 103. V, 49. 65. 111. VIII, 55. 68. δηλώσω I, 192. IV, 36. 81. λέξω IV, 14. ἀπηγγίσομαι IV, 38. ὀνομανέω IV, 47. σημανέω IV, 127. V, 54. μνήμην ποιήσομαι VI, 55., addito interdum etiam certi cuiusdam temporis adverbio, ut ἤδη γράσω ib. II, 147. νῦν πειρησόμεθα IV, 119. V, 91. Neque aliter praeteriti aoristus in innumera- bilibus plane locis ut in notis illis post finitam orationem ὥς φάτο, ὥς ἄρ' ἐφώνησεν, et adiecta certi temporis significatione Jl. α, 22. Ἐνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμη- σαν. 54. τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο. 92. καὶ τότε δὴ θάρσθησε. 425. χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα. Contra reliqua, quae ad praeteritum aliquo modo pertinent, tem- pora non raro inservire incerto eiusmodi indicando tempori testentur imperfecto Simonides in elogio illo Μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο Ἐκ Πελο- ποννάσου χιλιάδες τέτορες (Gaisf. Poet. min. vol. III. p. 167.) et Aesopus initio multarum fabularum, ut Δύο φίλοι τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἐβιάδιζον, Ἀρῆς καὶ κάλαμος ἤρι- ζον περὶ ἰσχύος, perfecto Herodotus II. c. 114. Ἄνδρα τοῦτον, ὅστις ποτὲ ἔστι ἀνόσια ἐργασμένος ξεῖνον τὸν ἑωυτοῦ, συλλαβόντες ἀπάγετε παρ' ἐμέ et So- phocles Aj. 1050. ubi Teucer Menelai verba Ἦδη ποτ' εἶδον ἄνδρ' ἐγὼ mutata temporis forma sed idem significaturus ita repetit Ἐγὼ δέ γ' ἄνδρ' ὅπωπα, plus- quam perfecto denique rursus Herodotus I. c. 77. Κροῖσος παρακαλέσας μὲν Αἰγυπτίους κατὰ τὸ ὄρχιον (ἐποιήσατο γὰρ καὶ πρὸς Ἀμασιν βασιλεύοντα Αἰγύ- πτου συμμαχίην πρότερον ἢ περὶ πρὸς Λακεδαιμονίους) μεταπεμψάμενος δὲ καὶ Βαβυλω- νίους, (καὶ γὰρ πρὸς τούτους αὐτῷ ἐπεποιήτο συμμαχίη) . . . ἐνένωτο στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Πέρσας.

(Particula quarta eaque ultima edetur propediem.)

quam haec verba quam maxime pugnant cum iis, quae leguntur antea (p. 197.) „qui dicit γράψω scribam, non nunc se scripturum demonstrat, quod dici deberet μέλλω γράφειν scri- pturus sum, sed omnino aliquando fore, ut scribat, ostendit.“
